





Be 389

- 1) Aristoteles 13!
- 2) Cicero, Reihenfolge  
von 1) zu 2)  
verändert!
- 3) Goelenius, R,
- 4) "



RODOLPHI  
 GOCCLENI  
 SVMMI PHILOSOPHIAE DOCTORIS, PROFESSORIS ACADEMICI.

PRAXIS LOGICAE  
 EX PRIVATIS EIVS LECTIONIBUS, ANTE ALIQUOT ANNOS  
 EXCERPTA.

STVDIOSIS ARTIVM ET  
 ELOQVENTIAE MIRVM IN MODVM  
 PROFVTURA.



FRANCOFVRTI  
 Ex Officina Typographica M. Zachariae Palthenij.

M. D. XCV.



RODOLPHI  
COLLEGIUM

IVM M. F. H. I. O. S. O.

PHILOSOPHIAE  
MAGISTRI

RODOLPHI

EX PARS ATIS RIVS

EX PARS ATIS RIVS

EX PARS ATIS RIVS

EX PARS ATIS RIVS

EX PARS ATIS RIVS

EX PARS ATIS RIVS

EX PARS ATIS RIVS

EX PARS ATIS RIVS







ERVDITIO NE,  
DOCTRINA ATQVE  
VIRTUTE PRÆSTANTI IUVENI D. M. RODOLPHO

*Goclenio, Iuniori, Filio, commilitoni  
suo plurimum colendo, S. P.*

**L**AUDATA ubiq; terrarum & honori nobilitas est, erudite iuuenis, vt pater tuus vir præclarus ex Aristotele nobis aliquando referebat. Ea duplex est, generis & virtutis: aut verius eadem. Nam ab hac, veluti a fonte, illa dimanauit. Virtus nō vt scholæ, sed aulæ fert consuetudo, vel armorum est vel literarū. Et quamquam arma longe splendidiora videantur, modestia liberalioris disciplinæ; nemo tamen M. Ciceroni negauerit, frustra esse arma foris, nisi sit consiliū domi. Hoc Cæsar Pompeium superat, plane, vt antea exigua manu Alexander ingentes Darij copias, & Dema-



EPISTOLA

4  
 des mortuo Alexandro, Phalanges,  
 quas victrices Orientis, Occidens pa-  
 uebat, comparasse fertur Cyclopi oc-  
 cæcato. Comparationem licet odio-  
 sam ad magnã partem Europæ transtu-  
 lit Philippus Melanchthon, postquam  
 Carolus V. Imperator, imperio se ab-  
 dicasset. Tanto pluris æstimatur con-  
 silium & valet, vt vsu compertum est,  
 quam arma. Versatur autem consiliũ  
 in præscientia, non electione tantum,  
 vt quid opus sit factõ, ne fallamur opi-  
 nione, statuatur. Ad eam rem diffici-  
 lem & laboriosam multum valet inge-  
 nij dexteritas & natiua iudicij acrimo-  
 nia, qualem in Themistocle Thucydi-  
 des, in Catone Maiore T. Liuius præ-  
 dicat. Sed vt ager cultu, ita ingenium  
 studio adiuuatur. Ac propterea hic  
 prouectior ætate ad literarum studia  
 animum applicuit: ille absq; scientia  
 literarum nec dignitatẽ in patria, nec  
 salutem potuit tueri extra patriam.  
 Quorsum hæc tam alte de vera nobi-  
 litate, non præcipua tantum parte no-  
 bilitatis, reperita percurrit oratio? Cũ  
 literarum, quibus pater tuus me im-  
 buit,



DEDICATORIA. 5

buit, causa, tum tua, qui, dubito pater-  
nane sis an tua virtute nobilior. Ge-  
nere nobilis es: qui eo patre natus es,  
quo literarum traditione nullus in Eu-  
ropa felicior est. Nobilis es virtute:  
qui patris vestigia sequeris, & tempo-  
re, si Deus volet, assequeris, anteuer-  
tes, diuinarem, si qui vincit omnes o-  
mni omnium literarum perceptione,  
superari posset. Non scribo encomiū  
patris tui, nec possum in his occupa-  
tionibus. Non te, quo sponte ruis, ad  
imitationē patris cohortor. Sed qui ar-  
guta patris tui dictata de ratione dif-  
ferendi, id est, consultandi, nam ludus  
literarius, præludium est Reip. euul-  
gari; nunc corollarium publico, quod  
est de vsu, Praxim ille appellat, & in A-  
nalyfin & Genesin erudite partitur,  
Dialecticæ. Patri quidem reddo, vt par  
est, sua, Filio paterna nuncupo: vt sub  
clarissimis nominibus adolescētia ha-  
beat verum disputandi modum, & si-  
ne quo hic mancus est, elaboratum di-  
ligensq; exercitiū. Quod si animi mei  
candorem, qualis est, videri vtriq; ve-  
strum cognouero, erit quod gaudeā.



6 EPIST. DEDICAT.

Probis probari magnum probitatis argumentum est. Præstantissima Patris tui monumēta nec tibi nec Patri commendo, nec hercle studiose iuuentuti. Satis mihi est ad distractionem exemplarium, satis emtori ad licitandum, quod sint Goclenij, hoc est, ut ego interpretor Aristotelis Christiani. Ea est viri methodus in tradendis disciplinis. Vnius etiam atq; etiam orabis Patrem tuum: ut libellum non modo suum agnoscat, verum etiam recognoscat, ut quem rudi ætate exceperim, atq; utinam, ut ille dictabat, exceperissem! Quia in votis res non consistit, benevolentiam tuam capto, opem Patris implo-ro. Deus Opt. Max. Patrem tibi quam diutissime incolumem seruet. Tu supera eiusdem Dei auxilio spem paternam. Datæ Francofurti ad Mœnum 7. Cal. April. Anno 1595.

*M. Zacharias Palthenius  
Typographus Francofurtensis.*

M. R. O.





M. RODOLPHI GO-  
CLENII PROFESSO-  
ris Academici.

PRAXIS LOGICA.

PRÆFATIO DE CAU-  
sa artium.

ORDO scholasticus, seu philosophicus e  
Magistris & Discipulis constat. Sapien-  
tes artifices ac Magistri artes partim inuenerūt,  
partim conformarunt.

Discipuli percipiunt & sibi comparant.

Antequam itaq; praxin Logicam aggredia-  
mur, dicemus *primum* de Inuentione artium,  
*deinde* de Compositione earum: *tertio*, de Com-  
paratione seu perceptione discipulorum.

In primo igitur membro, *de efficientibus*. In  
secundo *de materia, forma & effecto artium*. In  
tertio, *de instrumentis percipiendarum disciplina-  
rum* monebimus.

*Primum membrum.*

Artium instrumenta, principia & tanquam  
matres, quæ omnes regulas & theoremata no-  
bis pepererunt, sunt quatuor; αἰσθησις, id est, Sen-  
sus, ἰστορία, id est, Observatio, ἐμπειρία, id est, Expe-  
riencia, ἐπαγωγή, id est, Inductio. Quomodo ergo  
beneficio horum quatuor, artes inuentæ?

1. Primum a sensibus præcepta orta sunt,



8 M. RODOLPHI GOCLENII

quod homines studiosi sensiliū & singularium exemplorum omnia præcepta per sensus inuenierint, ut *Dialectica ex Dialecticorum, id est, re-cte differentium singularibus exemplis, qua sensus deprehenderunt, initium suum sumsit, sic a sensibus occasio aliqua illata est menti Physici, unde sua præcepta generalia constituit.*

2. Deinde postquam singulares res seu indiuidua a sensibus sunt animaduersa, mens illa diligenter obseruat & componit. Sic *Dialectici, id est, primi illi artifices, qui de arte bene differendi scripserunt, exempla ex bene differentibus a sensibus ad mentem transmissa, obseruauerunt & animaduenterunt.*

3. Tertio postquam sensus perceperunt singularia, intellectus vero obseruauit, experientia & usus veritatem rerum sensibus perceptarum & mente obseruatarum comprobat. Nul- lum itaq; in artibus tradendū, aut recipiendum est documentum, quod ab usu & *ἐμπειρίᾳ* vero- rum exemplorum obseruatum & inductum non est.

4. Quarto his accedit inductio, id est, *singula- rium exemplorū collectio ad constituenda theo- remata, id est, præcepta generalia.* Ea initium su- mit a rebus singularibus: ab his proximum & specialissimum theorema primum inducitur: Hinc paulatim ascenditur per interiecta & sub- alterna genera, tantisper dum ad summum ge- nus peruenitur.

Hac via omnes artes inductæ, collectæ & in- uentæ sunt, ut, cum primus *Dialecticus obserua-*  
set, in



set, in aliquot iisq<sub>3</sub> sufficientibus exemplis non recte concludi ex duabus præmissis particularibus; constituit regulam: Ex puris particularibus nihil necessario sequitur. Cum primus Physicus sensibus percepisset, observasset & expertus esset, vim ferri atrahendi, in primo, secundo, tertio, quarto, & singulis deinceps magnetibus, per inductionem collectis, tandem statuit generale seu uniuersale theorema Physicum: Magnes trahit ferrum.

De materia artium.

Quod ad compositionem attinet primum, materia artium, sensu, experientia, obseruatione & inductione inuenta considerata venit. Huius præparandæ, purgandæ, dolandæ, poliendæ, vt artificiosa instrumenta tanquam in ignem, secures, dolabras, limas, ferras, reliquit nobis Aristoteles in post. Analyticis propositas, & a Ramo toties inculcatas. Leges scilicet tres καὶ παντὸς, id est, de omni, καὶ ὁ αὐτὸ, id est, lex iustitiæ, καὶ ὁ ἕκαστου. Lex καὶ παντὸς iubet præcepta esse necessaria, omninoq<sub>3</sub> vera æterna ac immota siue enuntientur propositionibus generalibus siue particularibus. Lex καὶ ὁ αὐτὸ iubet omnia præcepta esse homogenea, id est, arti propria. Artium tanquam agrorum constitutos fines sine piaculo neq<sub>3</sub> conuellendos neq<sub>3</sub> confundendos esse censet. Tertia lex mandat, vt generalia per generalia, & simul specialia per species doceantur. Et quod consequens est, præcepta sint reciproca. Verbi gratia, si aliquis dicat, causam in generari suo effecto, is non serua-bit tertiam legem, quia quod speciei & causæ formali proprium est, tribuit generi, id est, ipsi causæ.



Si dicas, *ex efficiente causa oritur scientia*, violas tertiam legem, quia *quod generis est, tantū astringis ad speciem*. In Grammatica omni voci attribuitur species & figura. Hæ igitur affectiones cum generatim voci conveniant, si eas in singulis vocibus iteres, dicendo, *figura nominum quot sunt? figura verborum, adverbiorum, coniunctionum, &c. quot sunt*, peccaueris iterum contra tertium canonem.

*De forma artium.*

Artis forma est artificiosa præceptorum dispositio. Lex hic vnica est diuinæ intelligentiæ, vt præcepta generaliora priori statuuntur loco, specialiora posteriori, & hac quidem continua serie, donec tandem ad specialissima perueniatur: vt ita præceptū posterius & inferius a præcepto superiore & priore illustretur, vt mundus inferior a sole illuminatur. Hæc methodus inuentionis ordini, vt ad finem primi prolegomeni monui, est contraria.

*De fine.*

Finis, cur efficiens in eiusmodi materiã hanc formam inducat, est instauratio, & quodammodo perfectio naturæ seu animi humani.

*De effecto.*

Effectum igitur harum causarum, (*precipueque materiae artificiose institutæ & formæ*), ars est, iureque dicitur. Eam licet definias præceptorum legitimorum comprehensionem methodicam.

*De instrumentis comparandarum  
artium.*

Artes



Artes comparantur potissimum Institutione & Exercitatione.

Institutio est doctoris tum viui, ut est magister profitens disciplinas publice vel privatim: tum muti, quales sunt libri. Illa facilior, hæc difficilior. Exercitatio est, qua præcepta, hoc est, audita & lecta in actum, & usum & praxin deducimus, id est, vel opus ante factum examinamus, & ita in exemplo proposito vim artis iam cognitæ apprehendimus, vel ipsi aliquid noui conficimus, & imitando opus artis effigere, producereq; studemus. Hæc ergo qualis sit & esse debeat, speciatim nunc potissimum in Dialectica arte ostendemus.

*De ratione comparandi artem Dialecticam,  
ac potissimum de Praxi eius.*

CAP. I.

Vt omnium artium, sic & differendi facultas omnino integreque comparatur Natura & Cura. E quibus posterior doctrinam seu artem & exercitationem complectitur,

Natura differendi, principium instituit.

Institutum doctrina propriis & idoneis præceptis instruit ac amplificat. Instructum & amplificatum ab arte exercitatio tanquam quædam anima præceptorum perficit, & ad usum transfert.

*De natura.* CAP. II.

Natura est naturale lumen seu vis humanæ mentis & rationis ad differendum. Hoc lumen



in aliis est illustrius, in aliis obscurius. Hic impetus in illis est ardentior & celerior. In illis est tardior & remissior. Sed ut Ideam naturalis ad differendum propensionis mente complectaris, selige aliquem virum, naturæ solertia eximium, qui artem aliquam ratiocinandi non ex auditione quidem, aut fama acceperit, eumque sententiam in deliberatione alicuius causæ dicere iube. Ibi ex ipsius ingenio velut imago quædam naturæ resultabit. Nam primum ille apud se tacitus argumenta inueniet, *id est*, rationes aliquas excogitabit, ad propositam deliberationem vel suadendam vel dissuadendam. Deinde cogitationes suas certa via dispositas exprimet, rotunde singula concludet, genera a capite membratim distributa persequetur, denique affectus, ad conciliandam sibi fidem, excitabit.

*De Præceptis.* CAP. III.

Doctrina præceptorum, inuentionis & collocationis est legitima comprehensio. Estque naturæ æmula, & ipsius vestigia, & ductum tanquam Dei sequitur. Naturæ enim præceptiones atque monitiones ars confirmat, & in simillimam eidem viam ac rationem concludit, descriptasque differentibus ad imitandum proponit, atque ita ars, quæ discipula naturæ fuerat, eius magistra fit quodammodo. Nulla enim natura tam firma & constans est, quin cognitione sui & virium suarum, descriptione firmior, ac constantior, nulla tam languida & abiecta, quin artis ar-



tis argumento, acrior, alacrior & exercitior effici queat. Docet ergo & præscribit ars certas leges & vias ratiocinandi naturæ maxime consentaneas, quæ hallucinare neminem in disserendo patiuntur, siue in inueniendo argumenta & inuenta disponendo, siue artium limites, ad doctrinarum certas metas monstrando ac constituendo.

*De Exercitatione.* CAP. IIII.

Exercitatio est naturæ & artis in actum & vsum deductio, (de hac Anaxagoras, *manus est causa sapientiæ.*) Et confirmat studium & meditationem non solum in perspiciendis, & interpretandis bonis auctoribus, sed in omni genere scriptionis, dictionis, concertationis. Quare duæ sunt species exercitationis, *Analysis, & Genesis.* Illa in explorandis exemplis, ad normam artis; Hæc in fingendis & componendis nouis versatur.

Analysis est compositorum dissolutio: seu est exercitatio, qua omnes omnium generum disputationes reteximus & resoluimus. *Resoluimus* eo ordine, quo artis partes traditæ sunt, vel aliquid aliud disputatum, dictum & scriptum est. Verbi gratia. *Alicuius excellentis oratoris resolutio fit ita; ut primum questionem, id est, rem, de qua agitur, deinde rationes, tum eorum dispositionem, & singulas partes exploremus, inspiciamus diligenter, & excutiamus, cuiusmodi sunt.*

Analysis est Inventionis & Dispositionis.

Vtraq; est virtutis, seu rectorum exemplo-



rum, vel vitij seu vitiosorum exemplorum: Nam Analysis illa, dum virtutes propositæ disputationis e præceptis inuentionis & dispositionis retexit (*ad quæ scilicet tanquam ad Lydium lapidem accommodantur aliorum scripta*) dum vitia, si quæ sunt, ex elenchis sophisticis ad ea declinandum aperit.

Virtutes differendi, quæ satis ex præceptis artis intelliguntur, quinque sunt Proprium, Perspicuum, Certum, Verum, Consequens.

Proprium & perspicuum ad omnes & inuentionis & dispositionis partes pertinet. Certum & Verum ad inuentionis & syllogismi partes tantum, Consequens ad solam conclusionem, Sexta potest addi *ὁ τάκτος*, id est, Ordinatum.

*De Analysis virtutis inuentionis & dispositionis. CAP. V.*

In dissolutione inuentionis rectæ, *Primo*, propositi totius operis seu scripti summa seu quæstio princeps excerpenda est. *Secundo*, argumenta præcipua, quibus quæstio tractatur, sunt requirenda. Ea mox ad proprium genus referenda, & ad loci, vnde desumpta sunt, legem naturamque explenda.

Quod ad dispositionis rectæ analysin attinet, *primum* in iudicando argumento ex argumenti quæstionisque coniunctione propositio, assumptio & complexio inuestiganda est, & ternarius iste numerus seuerè exigendus, si tam plures sint vel pauciores enūtiationes, nõ protinus res damnanda fuerit: quod si plures sint, partium



partium approbationes esse possunt, vel ornatus vel lucis gratia interpositæ. Sin pauciores, id quod desideratur per se forte firmum est; vel etiam non satis conitans, dubia, ambigua. Itaq; detrahendum est, quod superat, & addendum quod deest.

*Secundo*, veritas & constantia enuntiationum singularium examinanda sunt, sint ne contingentes, an necessariae, & vniuersæ collocationis seu syllogismi consecutio ad leges syllogismorum accommodanda, & ita iudicium fiat de tota quæstione.

*Tertio*, quod ad methodi iudicium pertinet, si ars aliqua explicanda est, causæ eius, summa seu generalissima definitione requiri, subiectæ res paucis generibus notatæ ac distributæ, exigi debent. In oratoribus & poetis ipsæ partes co ordine, quo propositæ sunt, etiam sunt persequendæ. In flexum tamē poetæ & oratoris in his ordinem (*cum utilitatis aut voluntatis studium magis quam veritatis explicanda iis sepe sit propositum*) ad præcepta artis reuocabis, ut res sit conspectior & apertior.

Ergo virtutis analysis vniuersum, quod explicandum suscipit, a capite retexet.

Quæstionem cernet, quæ differenti proponitur.

Argumenta quibus quæstio tradatur aspiciet, & ad loci, vnde desunta sunt, legem naturamq; referet.

Dispositionem postremo ad propositam regulam comparabit.



## CAP. VI.

## Exempla analyseos eiusmodi.

*Analysis primi Psalmi.*

Psalmus est *διδασκαλικός, διδασκαλικός*. Thema enim est docentis, *quis sit beatus, & quis contra miser.*

Propositio Psalmi est, tum affirmati subiecti. *Beatus, qui verbum Dei summo studio amplectatur, meditatur, quod discit;* tum negati subiecti; *Beatus qui non facit cum impiorum doctrina & vita.*

*Partitio.*

Partes Psalmi duæ summæ sunt, *prima ἀντιθέσις* seu dissimilitudo piorum & impiorum. *Altera epiphonema.*

Dissimilitudinis propositio est: *Pii sunt beati.*

Antithesis, seu antapodosis: *Impii sunt miseri.*

Propositionis subiectum explicatur graphice descriptione, quæ fit

*Primum* negatione factorum, quæ in pios non cadunt,

*Pius est primum, qui non ambulat in consilio impiorum.*

*Secundo, qui in via peccatorum non stat.*

*Tertio, qui in cathedra illusorum non sedet.* Vbi nota tria genera hominum aberrantium a verbo Dei.

*Secundo*, positione affirmationis factorum, quæ piis conueniunt.

*Pius est, qui in verbo Dei acquiescit, qui in eo meditatur assidue.*

Propositionis prædicatum amplificatur & illu-



illustratur simili a palma sumto; *Qui verbum Dei sectatur, similis est palma iuxta riuos plantata.*

Explicata seu integra similitudo est talis. Πέγ-  
μασις: *ut arbor iuxta riuos plantata fructum dabit tempore suo.*

Α' πόδοσις: *sic pius irrigata fide per verbum feret fructus dignos verbo, & omnia eius facta habebunt felicem successum.*

Effectis, *fructificare.*

Adiunctis, *foliorum viriditate & tenacitate perenni.*

Antapodosios seu antithesios prædicatum duntaxat, primum illustratur diuersa similitudine a palea; *Impij peccatores, & illusores sunt similes palea, quam propulsat ac dissipat ventus. Deinde expolitur & amplificatur partibus miseriae, aut si maui a specie pœnæ.*

Epiphonemate & ἀντιπόδοσις & ἀντιπόδοσις confirmatur, adeoq; concluditur Psalmus ex efficiente successus iustorum, & miseriae impiorum causa.

Pij beati: *Novit enim, id est, approbat & conseruat viam eorum Deus.*

Impij miseri: *via enim eorum nescitur a Deo, id est, non protegitur sed perit.*

*Observatio.*

Valde etiam prodest quærere locum communem, ut locus communis huius Psal. est summum bonum seu gratitudo piorū. Sed de communibus locis dicemus suo loco.



18 M. RODOLPHI GOCLENII  
SECUNDVM EXEMPLVM  
ex capite sexto Ioannis.

*Analysis disputationis Christi cum Iudæis, de  
vero & non perituro pane vite.*

Disputationis quæstio princeps est: *Edere carnem Christi & sanguinem eius bibere, est, in Christum credere, eiq; uniri.*

Disputationis nudus Syllogismus eiusmodi est.

*Edere panem aeternæ vitæ est in Christum credere.*

*Manducare carnem Christi, est, edere panem vite aeternæ.*

*Ergo, manducare carnem Christi est credere.*

*Operemini non cibum] Propositio admonentis, ne solliciti estote operose de caduco pane, cogitate potius de pane vite aeternæ.*

*Quid facimus] Quæstio Iudæorum, quid sit hic panis & quo opere procurandus?*

*Hoc est opus Dei] Responsio Christi ad quæstionem, continens propositionem, sed adhuc non ita manifeste. Diuinum opus procurandi panem aeternum, est credere in Christum a Deo missum.*

*Quod ergo tu facis] Requirit Iudæi prosyllogium, non assentientes propositioni, argumento sumto ab exemplo repugnante, quod patres cœlesti manna a Mose datum manducassent, & tamen essent mortui.*

*Amen amen dico vobis] Respondet Christus ad oppositum argumentum & per distinctionem diuersi panis.*

*Dixit*



*Dixerunt ergo*] In propositione Iudæi acquiescunt, exspectantes ex ea assumptionem, de modo panis huius & specie.

*Dixit autem eis Iesus*] Declarat igitur Christus, quid sit panem vitalem comesse, & propositionem repetit, pressiusq; inculcat pro syllogismo secundo; *Pasci pane vita aeterna, est, venire ad Christum, & in eum credere.*

*Sed dixi vobis*] Coarguit Iudæorum incredulitatem.

*Hæc est autem voluntas*] Tertio pro syllogismo propositionis sententiam repetit, *voluntate patris credentes in me e caelo dimissum, servabuntur & excitabuntur ad vitam aeternam.*

*Murmurabant ergo*] Indignatio grauis & murmur Iudæorum contra id, quod Christus dixit, *se esse panem caelestem*, a repugnantibus, causis efficientibus, procreantibus.

*Amen amen dico vobis*] Quarto syllogismo sententiam propositionis contra Iudæos asseuerat Christus & superiora repetit.

*Et panis quem ego*] Hæc est assumptio. *At manducare carnem Christi, & bibere eius sanguinem, est pasci pane vita aeterna. Caro enim Christi pro nobis crucifixa, est spiritualis anima nostra cibus.*

*Quomodo potest*] Hæc Iudæorum contradictio est veluti, qui somniarent cibum corporalem, hoc est, dentis & ventris.

*Amen amen dico vobis*] Respondet Christus ad contradictionem, repetitione & expositione assumptionis.



*Hic est panis ille*] Repetit Christus propositionem de differentia mannae Mosaicae caducae & panis aeterni.

*Purus est hic sermo*] Discipuli Christi assumptione offenduntur, nec possunt concludere.

*Hoc vos offendit*] Instruit Christus discipulos ventris pastu somniantes, nec tropicam locutionem animadvertentes, & refutat Capernaiticam seu carnalem manducationem. *Hoc vos offendit, quod predicavi, carnem meam immolatam, & sanguinem meum profusum, animis credentibus epulum aeternae vitae futurum.*

*Quid igitur*] A maiore. *Vobis absurdum videtur, quod dixi, meam carnem comedenda ei, qui saluus esse velit, atq; hoc tum multo absurdius esse videbitur, cum in caelum ascendero vobis spectantibus. Sic enim tum dicere licebit; Iussit suum corpus comedi Christus, & tamen in caelum ascendit, quomodo nunc comedemus id in terris, quod in caelis sit. Verum caro non prodest quicquam, hoc est, carnalis imaginatio de manducatione mei, seu carnalis manducatio nihil prodest. Hic enim panis, ait Tertullianus, in vitae causam appetendus, & deuorandus auditu, & ruminandus intellectu, ac sive digerendus, Caro igitur ipsius etiam Christi escane, ventre nihil satiat, nihil prodest. Spiritus est qui vivificat, id est, spiritualis manducatio, verba quae loquor vobis spiritus & vita sunt, nam & meum regnum est spirituale, hoc est, meus de vita per carnem meam consequenda sermo spiritualis est, videlicet meum regnum est spirituale. Haec igitur complexionis sententia est; Manducare igitur carnem*



*carnem Christi, & sanguinē eius bibere, est in Christi-  
 stum credere, & propter eum viuere, sed non man-  
 ducare oris dente, sed animi fide, non potare guttu-  
 ris haustu, verum pietatis spiritu, hoc est, viua fi-  
 de, viuificoq; spiritu merita Christi pro nobis cru-  
 cifixi apprehendere, & ita ipsum Christum verum  
 Deum & hominē percipere, & cum eo coalescere.*

## EXEMPLVM POETICVM.

## Analysis Prologi Persij.

*Nec fonte labra prolui Caballino,  
 Nec in bicipite somniasse Parnasso  
 Memini: ut repente sic Poeta prodirem.  
 Heliconidasq; palidamq; Pyrenem  
 Illis relinquo, quorum imagines lambunt  
 Hedere sequaces: ipse semipaganus.  
 Ad sacra vatam carmen offero nostrum,  
 Quis expediuit Psittaco suum Chere,  
 Picasq; docuit verba nostra cantare,  
 Magister artis ingeniq; largitor.  
 Venter, negatas artifex sequi voces.  
 Quod si dolosi spes refulserit nummi,  
 Cornos Poetas & Poetrias picas,  
 Cantare credas Pegaseium mellos.*

Analyseos Prologi in Satyras Persij sum-  
ma quaestio hæc est.

*Persius debet scribere poema. Quaestio-  
 nis approbatio sumitur ex adiunctis, tum quia est  
 Poeta, tum quia est pauper.*

*Nec fonte] Primum argumentum, quod Poe-  
 ta sit, tractatur per diuersorum locum hoc mo-  
 do, Et si non biberim in fonte Caballino, nec in Par-*



*na somonte somniauerim: tamen sum Poeta.* Prior pars illustrata per mistionem Ironicam (*ibi illis relinquo Pyrenem*) qua aliquorum Poetarum vanitatem eludit, qui popularem laudem consectabantur ambitiose ex fucata quadam poeticae facultatis specie.

*Ipsē semipaganus*] Altera pars diuersorū, quae modeste ex effectis dissimilitudine amplificatis declaratur: *tamen ego scribo poema.* Poema enim est effectum Poetae. In voce *semipaganus* est dissimilitudo, quasi diceret, *etsi sim semipaganus*, alij vero *urbani*.

*Quis expediuit*] Altera ratio seu argumentū scribendi poematis, ex adiuncta paupertate simili declarata, *ut Psittaci & pica cum fame premuntur salutant suos dominos: sic ego omnium rerum egens carmina scribo.* Sed Antapodosis reticetur, ne in Persij animo videatur insidere aliqua emungendae a principe quodam Romano pecuniae cupiditas.

*Quod si*] Loco Apodoseos effecta quaedam mercedis & praemij declarantur per comparationem parium. *Si premia praestantibus ingenijs proponantur, & asportanda mercis spes aliqua iniciatur, tot erunt elegantes & concinni poetae, ut credas omnes coruos & picas poetas factos esse.* Videbis Antoniū Foquelium, qui in aureas Persij Satyras cōmentaria edidit, in quibus quod ad Dialecticā attinet tum initio tum in singulis partibus principem questionē proposuit, argumenta ad sui generis locos retulit, syllogismos, cum pleni fuerunt, ad suae figurae modum, distinxit: totius deniq; disputationis



tationis cursum ad suamethodi collocationisq<sub>2</sub> regulamrenocavit.

EXEMPLUM EX PRIMO  
libro Æneidos.

*Arma virumq<sub>3</sub> cano*] Propositio est totius Æneidos per distributionem. Proponit enim, duo se potissimum scripturum. Arma, id est, bella Æneæ, id est, errores ac nauigationes eius, quas sustinuit, antequam in Italiam venit.

*Troia qui primus*] Æneæ descriptio ex adiunctis & effectis.

*Musa mihi causas*] Inuocatio Calliopes, ut causas impultrices commemoret errorum Æneæ.

*Vrbs antiqua fuit*] Narratio, in qua describuntur causæ iratæ Iunonis. Estq; hic topographia Carthagini ex adiunctis & situ.

*Id metuens*] Secunda causa Iunonis, id male habebat Iunonē, quod eo bello omnes Troiani, adeoq; etiam extinctum voluit Æneam.

*Nec dum etiam*] Tertia causa, quod posthabita ipsa Iuno a Troianis, præsertim Paride, cum sententiam ferret pro Venere.

*His accensa*] Conclusio causarum cum epiphonemate.

*Vix e conspectu*] Pergit narrando, & orationem Iunonis iratæ proponit.

*Mene incepto*] Quæstio est indignantis. Ergo ego incepto desistam?

*Nee posse Italia*] Argumentū a paribus, quia arcere ab Italia Troianos nequeo. Syllogismus hic imperfectus est, quia deest progressio; *si Æneam ab Italia arcere nequeo, ab incepto desistam.*





*sed nequeo, ergo desistam.* Approbatio assumptionis est a causa impediēte, quippe vector faris.

*Pallas ne exurere classem*] Refutat assumptionis approbationem a comparatione minorum. *Pallas filia mea non fuit impedita, sed potuit in re leuiore multo maius efficere, Ergo fata & voluntas Dei multo minus me impediēt.* Syllogismus imperfectus sic perficietur, *si ij, quorū maiestas inferior, ob vnius noxam classem Gracorum exurere possunt, multo maius ij, quorum maior est maiestas in causa maiore, propter totius gentis peccatum, efficiēt.*

*At Pallas longe me est inferior, & Gracos propter minus peccatum admodum exercuit. Ergo ego regina Diuum, multo magis totam gentē Troianam mihi infestam coercebo.*

*Ipsa Iouis*] Assumptionis prosyllogismus a distributione effectorum.

*Et quisquam numen Iuxonis*] Hic refutationis velut syllogismus & conclusio est ex effectis.

## ALIVD EXEMPLVM.

### I. ÆNEIDOS.

*Quæstio est petitionis, O Æole mota tempestate in mari Troianos opprime, vel distrahe.*

*Sunt mihi bis septem*] Argumentum petitionis a paribus relatis. Syllogismi autem propositio deest, qui perficitur sic: *si tibi iungam connubio Deiopeiam, incuties vim ventis, sed primum: consequens ergo.*

*Præstanti corpore nymphe*] Laus ex adiuncta pulcritudine.

*Iun-*



*Iungam stabili*] Forma coniugij stabilis coniunctio.

*Omnes ut tecum*] Assumptionis prosyllogismus a fine coniugij duplici, quorum primus est solatium seu adiuventum, alter proles. Methodus constat exordio, narratione, propositione, confirmatione.

*Namq; tibi Diuum*] Exordium ab adiuncta potestate Aëoli in fluctus & mare, cuius prosyllogismus est ab efficiente procreante, *quia Deus tibi dedit.*

*Gens inimica mihi*] Narratio, qua occasio petitionis exponitur.

*Incute vim ventis*] Propositio.

*Sunt mihi bis septem*] Confirmatio.

A L I V D E X E M P L V M E X  
eodem libro.

*O socij neq; enim ignari sumus ante malorum*] Quæstio consolationis est: *Suis forti animo in his perpetiendis.* Argumentum, quo quæstio probatur, alterum, est a comparatis maioribus, alterum a finibus. Partes orationis sunt exordium, propositio, confirmatio & clausula.

*Neq; enim ignari sumus*] Exordium a comparatione similium.

*Renocate animos mœstumq; timorem*] Propositio.

*O passi grauiora dabit Deus*] Confirmationis primum argumentum a maioribus: *Passi estis grauiora, ergo tolerate & leniora.* Additur amplificatio ab effecto, *Dabit Deus his quoq; finem.*



Item prosyllogismus antecedentis in Enthymemate a similibus: *Vos & Cyclopea saxa experti.*

*Forsan & hac olim meminisse iuuabit*] Alterum argumentum e finibus & quodammodo effectis.

*Durate, & vosmet rebus seruate*] Clausula, qua repetitur propositio.

### EXEMPLVM ORATORIVM.

*Analysis I. Epistola Ciceronis 1. lib.*

Summa est enuntiationis. Nuntiat enim Cicero Lentulo, quid de causa illius, hoc est, de reducendo expulso rege Ægypti in senatu actum sit. Versaturq; tota Epistola in hoc vnico syllogismo, *si natura beneficia sunt imparia, minime mihi satisfacio officiis erga te meis. At omnibus modis sunt imparia. Nequaquam ergo mihi satisfacio.*

*Ego omni officio*] Assumptio probata narratione. In qua exponuntur causæ impediens reductionem regis ad Lentulum, incipit ibi *in causa hæc sunt. desinit illic; nostram fidem.*

*Partes possunt statui*] Propositio nimirum, cui additur ratio a comparatis imparibus; *tanta enim.* Narratio, *Hammonius.* Et clausula, quæ continet testificationem quandam de sua fide & aliorum perfidia.

### EXEMPLVM II. EX LIBRO IIII.

Epistolarum Ciceronis Epistola V.

cuius initium est.

*Posteaquam mihi renuntiatum est*] Quæstio est con-



est consolationis, *ne nimium angare ob mortem filia tua, sed dolori obtemperes.* Argumentum inventionis vna cum iudicio syllogismorum. Primum argumentum a comparatis paribus, quæ tamen reuera maiora sunt, *quia æque chara nobis erepta sunt, atq; liberi, nimirum patria, dignitas, & honores.* Quod valet in re pari, valet etiam in altera. *Nos æque chara atq; liberos amisimus, nimirum patriam, honores, horumq; iacturam tulimus, Ergo & mortem librorum sustineamus.* Propositio est generalis & necessaria, vt & reliquæ. Syllogismus est simplex primæ figuræ Aristotelis.

Secundum argumentum ab adiuncto temporis, quia hisce temporibus calamitosissimis potius mors expetenda. Syllogismus integer hic est; *Qui in publicis & priuatis miseriis placide obdormierunt, cum iis bene agitur, Assumptio: Tua filia placide obiit, antequam has calamitates sentiret; Ergo bene cum ea actum est.* Propositio necessaria.

Tertium argumentum a comparatione similium & maiorum, *quia vrbs & oppida etiam florentissima interierunt!* Syllogismus mutilus est; propositione sic perficitur. *Quorum vita longior esse debet, eo maiori digna est dolore. Oppidorum, vana gloria, dignitatis, que interierunt, vita, longior esse debet quam hominum. Ergo illorum interitus maiore dolore dignus est.*

Quartum item a comparatione maiorum, *Quia clarissimi viri extincti sunt.* Syllogismus est Enthymematicus, quia deest propositio, ex-



ple sic, si publica calamitates a quo animo sunt ferenda, multo magis privata. Atqui primū. ergo & secundum, id est, non adeo est dolendum in anima unius muliercula. Propositio est connexa affirmata, & *πυρρός* necessaria, vera. Syllogismus est connexus primi generis.

Quintum a repugnando adiuncto, vel etiam contrariis. Si nimis luges, committis contra tuam personam. Syllogismus, Decet fortune aleam boni consulere, Vos estis vti magnis fortune successibus, ergo, mutate etiam boni consulite.

Sextum ab adiunctis, quia sapientis est sibi etiam consulere. Syllogismus, sapientis est non tantum alius, sed & sibi precipere, Tu es sapiens. Ergo tibi ipsi precipere, id est, tempera tibi.

Septimum, ab efficientium comparatione, quia sapientes non tempore, sed ratione leniunt dolorem. Syllogismus: sapientis viri est potius ratione, quam tempore a gravitudinem vincere, Tu es sapiens. Ergo potius ratione, quam tempore, &c.

Octavum a relatis paribus. Quia si hoc cupiunt patria, filia, amici, illis obtemperandum est. Syllogismus, ultimæ voluntati amicorum est obtemperandum, de mortua filia voluntas est ut mitiges dolorem, Ergo, &c.

Nonum argumentum a diuersis finibus, quia videri possis aliud lugere. Si temporis ratio habenda est, dolori saepe detrahendum est, Assumt. Sed in eam fortunam peruenimus, ut inferuendum sit tempori. Ergo dolori detrahendum.

Decimum & vltimum argumentum a paribus contrariis: quia sic aduersa fortuna est ferenda, quem-



da, quemadmodum secundam tulisti. Plenus syllogismus hic est. *Viri sapientis est, utramq; fortunam recte ferre. Tu sapientia studeas, ergo utramq; fortunam, moderate feres.* Quamq; hoc modo argumento tractato, locus adiunctorum concidit.

Superest methodus Epistolæ, quæ partes habet quatuor. Exordium, Propositionem, Confirmationem & Conclusionem: Exordij sententia est. *Decrevi ea, quæ mihi in mentem venerunt, ad te perscribere.* Cuius argumentum est? *quia coram tibi declarare meum dolorem, non potui.* Syllogismus, cui deest assumptio, sic absoluitur. *Si istic fuisset, dolorem meum coram declarassem, sed absui, Ergo per literas dolorem tibi declaro,* Propositio est affirmata contingens propria, connexa. Ass. & complex. sunt affirmatæ contingentes propriæ simplices. Syllogismus est cōnexus secundi modi. Oppositio habet pro syllogismum a causa efficiente vel impultrice, quia calamitatem hanc grauiter tuli, & communem locum habuit. Complexio habet amplificationem per prolepsin duplicem. Prima sumta a comparatione adiunctorum, *quia hoc onus conseruationis miserum est.* Secunda a diuersis, *quia, inquit, non ignoras, sed præ dolore non satis perspicis.*

Propositio est tibi, *quid est, quod tanto per te cōmoueat tuus dolor? figuratur ab interrogatione.*

Confirmatio. Dispositio confirmationis est cryptica, & in argumentis decem, quæ modo numerauimus.



Primi argumenti Enthymema est: cuius antecedens ibi, *cogita quemadmodum adhuc fortuna nobiscum egerit, ut aequae chara atque liberi sint nobis erepta.*

Eius prosyllogismus duplex est. Primus a comparatione parium, ibi: *qua hominibus non minus quam liberi chara esse debent.* Secundus a distributione adiunctorum, ibi: *Patriam dignitatem, amicos omnes.* Consequens Enthymematis est ibi: *Hoc uno incommodo additur, &c.* Est autem prosyllogismus complexionis a maiorum comparatione figuratus per integrationem.

Secundi argumenti syllogismus integer partibus inuersus est, complexio praecedit figurata interrogatione ibi: *An illius vicem credo doles, quasi si dicat. Non debes dolere eius vicem.* Propositio est ibi: *Quoties in eam cogitationem, &c.* quasi dicat: *Bene cum iis agitur, qui absque calamitatibus moriuntur.* Eius syllogismus est a testimonio Ciceronis & Seruij. Assumptio est, *quid autem fuit?* quasi dicat: *sed tua filia obiit, antequam videret calamitates publicas.* Eius prosyllogismus est a distributione ereptorum bonorum, quia *neque latitia, neque spes, neque consolatio ad viuendum illam inuitare potuerunt.* Hunc amplificat tribus occupationibus, de spe inani, primo generi *alicuius*, secundo *nepotum seu sobolis*, tertio *boni alicuius.*

Tertij argumenti imperfectus syllogismus est: eius consequens permittitur, ibi: *Queres mihi non mediocre.* Estque illustratio ab exemplo serui, & velut exordium narrationis sequentis.  
Ante-



Antecedens est tota narratio; sed in primis ibi: *Quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt.* Cuius prosyllogis. quidam ab enumeratione subiectorum, est ibi; *Ex Asia rediens.* Deinde repetit totum Enthymema & ad propositam materiam accommodat ibi, *Hem, nos homunculi indignamur.*

Quarti argumenti dispositio est eiusmodi, Transitio permittitur similis argumenti ab exemplo Reipubl. Rom. ibi. *Hoc idem siquidem videmus:* Antecedens Enthymematis est ibi, *Modo vno tempore,* quasi dicat: *vno tempore in Reipubl. nostrae calamitates tot fuerunt.* Huius prosyllogismi tres sunt: primus a subiectis *praeclaris:* secundus ad adiuncto imperij, videlicet a diminutione. Tertius a paribus *provinciis conquisitis.* Consequens est ibi, *In vnius muliercula animula.* Cuius prosyllogismus est alius in prolepsis, a necessitate mortis ibi: *Quae & hoc tempore.* Subiungitur huius etiam prosyllogismus ab adiuncto, videlicet *conditione humana.*

Quinti argumenti methodus est directa, propositionis: ibi. *Et tu ab his rebus, &c.* Illustratur autem a diuersis. Assumptio est ibi, *Illam quandiu opus fuerat, &c.* Cuius amplificatio est ab adiunctis vitae bonis, quadam distributione enumeratis, ibi: *Illam cum Reipubl. fuisse,* Complexio est ibi, *quid est quod tu, &c.*

Sexti argumenti antecedens est, *noli obliuisci.* Eius prosyllogismus est primus ab effectis. ibi. *Et eum, qui alius consueueris, &c.* secundus a contrariis illustratis *comparatione similium,* ibi: *Neq; imitare malos medicos.*



Septimi argumenti inuersio est  $\kappa\epsilon\upsilon\pi\lambda\eta\eta$ , cuius consequens ibi; *Hoc te tempus*, Antecedens ibi: *tua sapientia*.

Octaui Enthymematis antecedens præmittit prosyllogism. ab effectis filiæ: *Quod si quis etiam inferis sensus est*. Deinde ipsum antecedens sequitur, ibi. *Hoc certe illa te facere non vult*. Consequens est, *Da hoc illi mortua*. Prosyllogismus consequentis est a fine ibi, *ut si qua in re opus*.

Noni argumenti  $\pi\acute{\omicron}\lambda\iota\varsigma$  hæc est. Antecedens est ibi, *ut etiam in eam fortunam deuenieris*. Cuius prosyllogismus est a causa fortuita, ibi: *Quonia in eam fortunam veneris*. Consequens est ibi, *noli committere*. Hic velut clausula transitur ad 10. argumentum, ibi: *Quare si hoc, &c.* Argumentum eius est ab adiuncto, *quia me pudet scribere*: cuius iterum prosyllogismus est a fine, ibi, *ne videar diffidere*.

Decimi argumenti œconomia est hæc. Antecedens ibi, *Vidimus aliquando*. Cuius prosyllogismus est ab effectis. *Magnamq, laudem ex ea re adipisci*. Consequens est ibi, *Ergo fac ut aliquando intelligamus*, cum amplificat. parium, ibi. *Æque ferre, &c.* additur prosyllogismus, a fine ibi. *Ne ex omnibus virtutibus*.

Conclusio habet sententiam hanc, *Ego de omnibus rebus te certiolem faciam*. Amplificatio duplex est tum a subiectis, tum ab adiunctis, Subiecta sunt res: subiecta inquam, sunt res & prouincia. Adiunctū Ciceronis est, *cum tranquilliore te*.

Tan-



Tantum de virtutum Analyfi.

Sequitur nunc deinceps de Analyfi vitiorū.

*De Analyfi vitiorum.* CAP. VII.

Vitia virtutibus superioribus responden-  
tia, quinque sunt, *Alienum*, *Obscurum*, *Ambi-  
guum*, *Falsum*, *Inconsequens*. Addi potest sextum  
<sup>ἄτακτον</sup> *Inordinatum*.

Horum alia sunt Communia, eaque cum in o-  
mni parte, tum in quibusdā vsurpata. Alia Pro-  
pria in singulis partibus.

Communia omnium dialecticæ partiū sunt,  
*Alienum* & *Obscurum*, quorundam *Ambi-  
guum* & *Falsum*. Hæc enim ad inuentionis &  
syllogismi tantum partes attinent. (*falsum au-  
tem hic accipies generalius, ut illegitimum etiam  
comprehendat.*) Hæc definitio est falsa, id est, non  
*vera, illegitima, impropria, mala, &c.*

Proprium & *Inconsequens* & *Inordinatū*.  
Vitium enim inconsequentiae ad solam con-  
clusionem pertinet, *Ἀταξίας* vera, id est, confu-  
sionis, ad methodum scilicet pertinet.

*De Alieno.* CAP. VIII.

Quatuor igitur vitia inuentioni accidunt, ut  
*si argumenta sint aliena; si obscura; si ambigua;  
si falsa.* *Alienum*, *Obscurum*, *Ambiguum* com-  
munia sunt inuentionis vitia, falsum vero est  
propriū singulorum argumentorum. *Ali-  
enum* Græce *ἄλλοθεν*, hoc est, cum argumentum  
*nihil ad rem propositam, seu questionem attinet.*  
Hunc elenchum sæpe committunt hæretici, de  
quibus Irenæus ait, quod in ratiocinando neētant

C



*funes ex arena, id est, quod non cohæreant membra  
in argumentis eorum, & sint quasi scopæ dissolutæ.*

*Exempla.*

Apud Ennium de Medea ancilla inquit: *V-  
tinam in nemore Pelio securibus cesa accidisset  
abiecta ad terram trabes, neve inde navis incoan-  
da exordium cepisset; nam nunquam hera errans  
mea domo efferret pedem Medea animo agro, a-  
more senio saucia.* Hic ancilla Medea causam  
accusat alienam calamitatum in domino, hoc  
est, arbores in nemore Pelio, perinde atq; si ebrio-  
sus quidam percussor, diceret, *Vtinam Noa non  
plantasset vitem, sic istum non interemisssem.* Nam  
plantatio vitium remotissima quidem & aliena  
causa est cædis.

Elenchus hic in vita humana v̄sitatissimus  
est, cum nimirum proposita controuersia aliud  
agitur, ut cum ille accusaretur furti trium ca-  
pellarum, narrabat de Mythridatico bello.

Pertinent autem huc quædam fallaciæ Ari-  
stotelicorum, ut fallacia secundum plures inter-  
rogationes, Item secundum non causam ut causam.

Alieni species videtur esse redundantia otio-  
sa, quæ τῶν τολογῶν quædã est, coccyismus seu can-  
tus cuculi, redundantia nugatio, quæ sæpius  
idem canit. ut, si quis definiat Medicinam scien-  
tiam salubrium animali & homini, ille committit  
vitium τῶν τολογῶν, nam generale per speciẽ iterat.

*Aliud exemplum.*

*Fide, tanquam causa coram Deo iustifica-  
mur, fides apprehendit Christum, seu Christus sola  
fide*



*fide apprehenditur. Ergo per Christum tanquam per causam instrumentalem iustificamur. Hic in conclusione per causam instrumentalem redundat, est enim determinatio Medij termini seu pars tertij argumenti, quæ ingredi conclusionem non debet.*

*Lex generalis erit: medium concludere nescit.*

*De Obscuro. CAP. IX.*

Obscurum hic est, cum non intelligitur argumentum, quod dicitur. Huc pertinet Elenchus petitionis principij, cum probatio est obscurior quæstione, quam arguere debet, *ut corpus Christi & sanguis eius delitescunt sub speciebus panis & vini, inquit Pontificij, quia panis consecratus, transubstantiatur in corpus Christi, & vinum in sanguinem eius. Si citharista tibi dicat, porrigem tibi quadrupedem, tardigradam, humilem, cui sceratam, id est, testudinem, ille committit elenchum obscuri. Sic medicus ad rusticum agrotum, sume terrigenam, herbigradam, domiporiã sanguine cassam, id est, cochleam. Sic a multis putatur obscuritatis vitio laborare definitio animæ Aristotelica; anima est ἐντελέχεια corporis organici, potentia vitam habentis. Quid enim per ἐντελέχειαν intelligatur, disceptant Physici, sed adhuc sub iudice lis est. Notabis autem hic sæpe enormem brevitatem, obscuritatis causam esse, ut habet versiculus, Obscurus fio dum brevis esse volo.*

*De Ambiguo. CAP. X.*

Ambiguum est, cum argumentum indistin-



Et adhibitum alio atq; alio sensu accipi potest: seu cum dubitatur, quam significatione de multis sequi conueniat. Ad hunc igitur elenchum, qui & ὁμοθυμία & æquiocationis dicitur, referes. si in eadem distinctione, idem verbū <sup>πολλὰ πλ. ὡς λέγεται</sup> & dissimiliter intelligitur.

*Exempla.*

*Quod quis emit poterit dicere iure suum;*

*Carmina Paulus emit, recitat sua carmina Paulus,* Suum est ambiguum. nam nunc auctorem, nunc possessorem significat. Respondeo per distinctionem; aliud est suum emtione seu proprietate, aliud *compositione seu efficientia.*

Committitur ergo hic elenchus, etiam perstringendo, ludendo, & iocando. Sic ludit Henricus Stephanus in quendam ὁμοθυμία vocis iuris,

*Quod voco te Juris Doctorem utriusq;, superbis,*

*Et de sorbilibus iuribus ipse loquor.*

**Et iterum de eodem, iambicis senariis.**

*Quod iuris utriusq; te vocauerim*

*Peritum, honorem ne tibi dari puta,*

*Vnde insolescas, atq; sumas cornua.*

*Peritorem censeo meam coquam,*

*Et iusculorum & plurimorum iurium,*

*Sint illa siue carniū, seu piscium.*

*Vorare tu tantum; illa & apparare scit,*

Quæstio est Iurisconsultorum, *utrum magistratus habeat merum imperium, an omnia solius principis propria sint?* ad quam definiendā cum Heluri-



Heluricus I. Imperator arbiter Bononiæ esset electus inter Lothariū & Azonem æqui spon- sione facta, iudicavit, merum imperium solius principis esse. Ex quo Lotharius equum, Azo equum tulisse, dicitur. Tūc homines faceti di- cebant, *dixerat hic equum sed tulit alter equum.*

*Qui habet equum habet bonam causam, Lotarius habet equum. Ergo Lotarius habet causam bonam.*

In specie Elenchus est profodiæ. *Stratonicus cy- thareus in Gymnasio novem Musarum icones, v- namq; Apollonis, duosq; discipulos habebat. Inter- rogatus is a quibusdā, quot nam haberet discipulos, cū Joīs inquit duodecim.* Iocus est in voce *σω*, qua cum præfationis loco ad conciliandū & ex- primendum favorem diuinum vti consueue- rint Græci, ipse ad numerum denotandum, io- cose transtulit.

*De Falso. CAP. XI.*

Falsum hic est, cum argumentum est fallax seu sophisticum.

*Fallacia non causa, ut causa.*

Elenchus hic fit, cum tale quidpiam adhibe- tur, quod causa videtur conclusionis, cuius ta- men causa reuera non est. Huc pertinet falla- cia accidentis.

*Exemplum. I.*

Nummus conflatur ex cupria massa, cum aureus esse debebat, falsa est materia. Ergo mo- netarij sæpe committunt elenchum materiæ, scilicet falsæ.





*Exemplum. 2.*

Sinon apud Virgilium ait: *equum ligneum* ideo fabricatum esse a Grecis ut placarent Mineruam, hic finis sophisticus est. nam verus ille erat, ut Troia a Grecis fraude ac dolo caperetur. Epicurus & alij hic sophistæ sunt, cum disputant, voluptatem vel opes esse hominis finem.

*Exemplum. 3.*

Qui propter nos resurrexit & mortuus est, & ascendit in cœlum, ubiq; est diffusus. Christus secundum carnem propter nos resurrexit & ascendit in cœlum, Ergo Christus secundum carnem est ubiq; diffusus. In maiore est fallacia non causa, ut causa. Nam omnipresentia causa vera non est resurrectio & ascensio, sed immensitas divina essentia.

*Exemplum ex iure. 4.*

Quæstio est, An Onanes ideo sit homicida habendus propter solam seminis effusionem? Item, an semen habendum sit pro ipso homine? Vtrumq; autem recte negatur. Sed arguat aliquis, Si Onanes Genes. 28. ut homicida necatus est, ob id, quod nefarie semen in terram effudisset. Ergo in homicidis idem est, sine quis foetum vivum, vel non vivum in utero interimat. Est fallacia secundum non causam. Non enim principaliter Onanes propter *onémeros* effusionem puniebatur, sed propter contemptum Dei & invidiam, quia etiam iussus a Deo nolebat fratris resuscitare semen.

*Fallacia non effecti, ut effecti.*

Elenchus hic fit, cum effecta adhibentur, quæ a falsis



a falsis proficiscuntur causis; Fit item in contingebus, id est, cum non necessario effectus sequitur causam, ut hic salutavit Titium memoriter suo nomine, Ergo est Rhetor extemporalis. Illatio hic vitiosa est. Salutare enim aliquem nomine proprio memoriter, non est argumentum extemporalis facundiæ, sed eo ipso homo tardæ & debilis memoriæ notatur. *En angelij est imperare, vetare, promittere, punire.* Respondeo, hæc sunt effecta legis præsertim civilis ex l. 6. de leg. Modest.

*Ex iure.*

Iurisconsultus Proculus, error inquit *ius facit.* Sed non sequitur, *error est, ergo ius est, Nec ius est, ergo error est.* Interdum enim tantum error communis ius facit.

*Elenchus subiectorum.*

Elenchus subiectorum fit, cum rei tribuuntur falsa, vel captiosa subiecta, ut si quis *cornos pascit in aere; Vinum crescat in montibus hyperboreis, si quis Grammaticæ arti explicationem poetarum, oratorum, & historicorum asscribat. Item in Medica arte explicatio theorematum physicorum, in Physicis Dialecticorum, in Geometria Arithmetiæ, in Dialectica Rhetoricorum, falsa subiecta sunt.* Et hic elenchus falsi ex subiectis.

*Exemplum ex iure.*

Si dicatur, *commodatum consistere in rebus, quæ mensurantur, numerantur, ponderantur;* hic tribuuntur commodato subiecta mutui. *Mutui enim datio* inquit Proculus l. 2. §. appellata. ff. §.



*cert. pet. consistit in his rebus, quae pondere, numero, mensurave constant.*

*Elenchus adiunctorum.*

Hic fit, cum adiunctis utimur, vel prorsus falsis, vel allegoriis pro natiuis, separabilibus pro inseparabilibus, communibus pro propriis, raro contingentibus pro perpetuis.

*Exemplum historicum.*

Fugit, ergo timet. fuga fallax adiunctum timoris est, nam ea callidi Imperatores saepe magnas victorias adepti sunt, ut Cyrus in Scythiam profectus cum copiis, simulato metu, quasi defugiens castra sua deseruit epulis & vino referta. Quo cum filius Reginae Mesagetarum venisset, milites suos vino opprimi patitur. Itaque Cyrus statim reuersus omnes interfecit. Saepe hoc dicitur sophisma & fallacia ἡ συμπεσνηστος, id est, accidentis.

*Captio e dissentaneis.*

Dissentanea falsa & captiosa in singulis generibus notari possunt, ut facundus hic est, ergo non est formosus. Facundus & formosus non sunt opposita, sed diuersa, sunt & interdum dissimilia, ut cum dico, quamuis hic sit facundus & ille formosus. l. ult. §. omnes enim. C. unde vi. antecedens: Omnes scire debent, quod non suum est, ad alios modis omnibus pertinere, hic medium videri possit, scilicet id, quod nullius est. Elenchus igitur hic est oppositorum. nam vno mediatorum negato, non necessario alterum infertur.

*Aliud exemplum.*

Omnia Castor emit, aliquando ergo omnia vendet, vel certe nihil. Hic etsi Relata sunt emere & vende-



vendere, vitiose tamen hoc modo inter se conferuntur. nec sequitur, emacem esse vendacem, vel etiam nihil rursus diuendere. Oritur & captio ex confusione relatorum, *ut unum & eundem esse tutorem & sub tutela agere*. Relatorum fœda confusio est. Parit & errorē priuantium, & contradicentium confusio, *ut non habes cornua, ergo habuisti*. Non valet collectio, quia priuatio ante requirit habitum, & aliud est *non habere cornua*, quam *priuari cornibus*. Non potest videri desisse habere, qui nunquam habuit, inquit Paulus Iurisconsultus *l. non potest. ff. de reg. iur.* Nec etiam valet, *cares cornibus, ergo amisti, vel habere desisti*. Item *amisi cornua, ergo habuit*. Posita enim priuatione, infertur habitum antecessisse.

*Elenchus Comparationis.*

E Comparatis etiam variæ sunt captiones, ut cum ea, quæ imparia aut dissimilia sunt, pro similibus aut paribus sumuntur. *Hoc peccatum homicidium est, illud mendacium, atque virumque æquale est, ergo pari sunt pœna plectenda*. Est fallacia non parium tanquam parium, Non enim omnia peccata sunt paria, (*ut neque virtutes sunt æquales.*) Plus enim inquit *Iurisconsultus est*, hominem veneno extinguere, quam gladio interficere.

*Aliud exemplum.*

*Hic potest tollere festucam, ergo etiam trabem,*  
Hic imparium fallacia est, seu est fallax collatio, a minore ad maius præsertim affirmative. Nam qui minus potest, non illico potest maius. *Vestis*



*noua & recens anteferenda veteri, & noua sponsa anteferenda veteri, ergo amicitia noua anteferenda veteribus, Respondeo, non valet conlectio, quia fallax similitudo est, quemadmodum vestis recens veteri, sic amicitia noua veteri antepo- nenda est. Famam laesit boni viri, ergo homicidium commisit, Non valet illatio, minus enim est fa- mam, quam vitam tollere, Papinianus enim ad l. Iul. de adult. inquit, cuius fama, multo magis vi- ta parcendum est.*

*Elenchus coniugatorum.*

Hic fit primo, cum in coniugatis est ambi- guitas, *ut aurum coelatum hoc seculo Roma vena- le, ergo Roma sunt aurea secula. Homines sumus, er- go humana spectabimus. Vtrumq; vitiosum est; Duobus enim modis dicitur aurum. Primo est aurum qualecunq;, deinde prestans & eximi- um. Sic humanum duobus modis dicitur, tum id, quod terrenum, fluxum est, tum id quod come & fabile est. Deinde non valet collectio, si con- iugatum est aliquod nomine tantum, ut tutum est. Ergo non metuit. Doctor est, Ergo docet. Ter- tio item, si vnum cōiugatorum significat actio- nem, alterum vero habitum, ut heri eras ebrius, ergo es ebriosus. heri dicebas verum, ergo es ve- rax; heri agebas iuste. Ergo es iustus. Hic iam vi- gilat, ergo est bonus vigil.*

*Elenchus notationis.*

Hic fit, cum nomen non vere conuenit rei, *ut hic dicitur Petrus, ergo durus est instar petra. Secundo cum notatio vel inepta, ut cum quidā ineptus formalista dicit, αὐτὸν dictum esse αὐτῷ, id est, semper*



semper, π, id est, aliquid, ὄν, id est, ens. Causam, quasi canissa. Item ἀέρ, id est, aer dicitur ab α, id est, principium & ω, id est, finis. Apud Iurisperitos, quod pace bona ipsorum dixerim, multæ sunt eiusmodi notationes, quæ non sunt veræ Etymologiæ, sed tantum allusiones, ut in iure canonico usura dicitur ab usu æris, falsa hæc notatio, est. Si enim vera est, fœtura erit fœtus æris, quod est absurdum. Iurisconsultus Caius in ff. de verb. sign. pignus ait, appellatum a pugno, quia res, quæ pignori dantur manu traduntur, Res donata, vendita, commodata, pugno seu manu traditur. Ergo res donata, vendita, commodata est pignus. Respondet interpret iuris, ab eiusmodi interpretationibus procedi negatiue, ut hæc res non traditur pugno, id est, manu, ergo non est pignus; sic (inquiunt Iurisperiti, valet; Appellata est mutui datio ab eo, quod de meo, tuum fiat, Paul. l. 2. §. appellata. ff. si cert. pet. Ergo si de meo non fiat tuum, non est mutuum, Non autem sequitur, mutuum ex eo dictum est, quod ex meo tuum fiat, Ergo quoties ex meo tuum fit, mutuum erit. Tertio cum nomen est angustius notatione, sæpe enim fit, ut rei nomen imponatur per synecdochen, ut hæc ars est Geometria, Ergo tantum est descriptio seu mensuratio terre. Hic tenet Theologiam, ergo tantum tenet doctrinam de Deo.

*Elenchus distributionis.*

Hæc fit variis modis. Primum, cum in distributione aliquid prætermittitur, quod necessarium est, aut additur, quod superfluum est, nec



necessarium erat addi. *Secundo*, cum partes distributionis non repugnant, sed eidem conveniunt. *Tertio*, cum totum in falsas partes dividitur. *Quarto*, cum gradus vel etiam membra cum speciebus confunduntur.

*Exemplum. 1.*

*Terra dividitur in Europam, Asiam & Africam, & Utopiam. Monachorum alij sunt probi, alij improbi, alij neutri, ut picti. Hic ultima pars redundat.*

*Aliud exemplum. 2.*

*Ubiquitas est localis seu personalis, vel receptiva. Hic primum membrum redundat, quia nihil ubiq<sub>3</sub> est localiter, seu circumscriptive.*

*Aliud exemplum. 3.*

*In Iuda fuit contritio & bonum propositum deinceps recte faciendi, Ergo in Iuda fuit salutaris & vera & integra poenitentia. Respondeo, non esse hic perfectam seu legitimam divisionem, & ex insufficiente enumeratione partium nihil sequi. Praecipua autem conversionis ad Deum pars est fides seu spes veniae a Deo & gratiae, qua Iudas deficiebatur.*

*Aliud exemplum. 4.*

*Si quis Europam dividat in Asiam & Africam, is totum integrum in falsa membra dividet; si quis dividet animantes in hominem, bestiam, stellas & Deum, falsas species adhibebit. Stelle enim & Deus non sunt animantia.*

*Aliud exemplum. 4.*

*Cum dico, hominum alij sunt impij, alij infelices, alterum membrum in altero includitur, tanquam*



*quam consentanea.* Impij enim sunt minus grati, non igitur est legitima distributio, si dicas, *ars est vel vana, vel mala, vel bona, vel Grammatica,* Hic species scilicet *Grammatica* in genere includitur. Igitur non est partium vera contrarietas.

Pleriq; Arithmetici additionem & subtractionem faciunt species Arithmetices, cum tamen sint membra integritia.

*Ex iure.*

Recentiores iurisperiti faciunt quinq; species culpæ, *latissimam, latiore, latam, leuem & leuissimam,* quod recte improbat Zasius. Nam etsi verum est inter culpas aliam censerī latiore, aliam leuiorem; tamen ex huiusmodi gradibus non possunt constitui diuersæ species, cum nouissima sit iuris regula, quod maius & minus non faciant diuersas species.

*Elenchus definitionis.*

Hic fit, cum non declarat naturam rei propositæ definitio, quid sit; item cum vel parum, vel nimis plena, denique vitiosa est definitio, quæ fit tantum negatione.

*Exempla.*

*Gloria est potentia in Republica scelere parta & odium metusq; populi.* hæc definitio gloriæ est falsa, quia constat ex falsis gloriæ causis. *Homo est animal mortale a Deo creatum.* Hæc definitio, etsi colligatur ex genere cum adiuncto, & causa veris, tamen non est propria, sed communis, atq; idcirco minime vera. Vera enim, id est, legitima definitio est non solum, quæ vere



enuntiatur, sed etiam, quæ rem proprie ac reciproce explicat.

*Aliud exemplum.*

Platone (si Laertio credimus) definiente homo est animal bipes implume, Diogenes nudatum, vstulatum, de plumem gallum in eius scholam deiicit, & ait, esse hominem Platonicum. Hæc ergo definitio impropria & nimis late vagatur.

*Exemplum ex iure.*

*Furtum est contrectatio fraudulenta rei aliena, quæ fit animo lucri faciendi invito domino.* Videtur nimis late patere definitio, hoc est rapinæ etiam conuenire. Quare putant quidam addendum esse *fraudulenta & clandestina*. Alciatus posteriorius etiam membrum redundare existimat, *invito domino, lib. 1. disputationum. cap. 10.* Nam furtum etiam volente domino fieri potest, puta si surripiã, quod dominum nolle existimem, cum tamen is velit, Pomponius ait, me esse furem *l. inter omnes. §. vlt. ff. de furt.* cui Alciati sententiæ astipulatur text. in *l. si quis seruo. C. de furtis & seruo corrupto.*

*Ex iure.*

*Mutuũ est contractus, qui neq; solemnitate verborum, neq; literis, neq; solo consensu contrahitur.* In *l. 5. fin. de auro & arg. leg.* ait, argentum factum, dici, quod neq; in massa, neq; in lamina, neq; in signato, neq; in supellectili, neq; in mundo neq; in ornamento sit. Interdum tamen cum aliæ haberi non possunt, eiusmodi definitiones in iure probantur, vt Pomponius in *l. 1. ff. de supellect.*



*supell. leg. supellex est domesticum patrisfamilias instrumentum, quod neq, argento auro ve facto, vel vesti annumeratur.*

*Elenchus testimonij.*

Vere diuina testimonia nunquam fallunt. In quasi diuinis, vt pronuntiatis Ethnicorum, vatum & auspium, falsitas sæpe inest. Humana autem testimonia sæpissime fallunt, id quod ostendunt periuria quotidiana, falsæ contestationes, fallax fama, falsi rumores, vulgo receptæ opiniones, quæ rationibus subuerti possunt, præsertim saniorum auditorum. Præclare enim Plato in Critone ait, *non multitudinis sed saniorum opiniones curanda sunt.* Saniores autem ij sunt, qui veritatem ducem sequuntur.

*Exempla. 1.*

*Baldus hoc asserit, ergo tenendum est pro iure.* Elenchus est testimonij seu auctoritatis, ea scilicet duplex est, necessaria, vt legis, & probabilis, vt Iureconsultorum, quibus creditur, non quia dixerint aut scripserint, sed quia secundum ius & æquitatem responderint. Sequitur igitur hoc: *Baldus suam assertionem probat legitima ratione, ergo est obseruanda.* 2. *Ptolomæus non docuit modum octaua sphaera, ergo octaua sphaera non mouetur proprio motu, Moyses in Genesi nihil diserte scripsit de creatione Angelorum, Ergo Angeli non sunt conditi eterni:* Hic respondendum est: *ab auctoritate probati auctoris, non valere consecutionem negate.*

Expositi sunt Elenchi inuentionis, sequitur ergo commonefactio de elenchis dispositio-



nis, & primum enuntiatorum. Vicia enuntiationis eadem sunt, quæ inuentionis, si ea nimirum sit aliena, obscura, ambigua, falsa, siue aliquando (*dum dicitur incerta*) siue semper (*dum dicitur impossibilis.*)

Sed præterea enuntiatorum Elenchus fit, cum affirmatum pro negato, generale pro speciali, simplex pro composito, non oppositum pro opposito, contrave sumitur.

*Exempla.*

*Cerasa acida sunt salubriora, pomum est fructus, hæc igitur cerasa sunt salubria.* hic assumptio prorsus aliena est. *Bonum non possidetur ab improbis: diuitie possidentur ab improbis, Ergo diuitie non sunt bonæ.* intelligitur propositio de bono morali seu honesto. Assum. est contingens, quia etiam pij reges sunt diuites. *Si mouetur, est animal. Sed mouetur. Ergo est animal,* Est elenchus enuntiationis connexæ, non enim illico animal est, si moueatur quidquam, si cum sensu & vita mouetur, tum demum est animal. *Cum honesta hanc virginem stupraueris, vel ducenda tibi erit, vel dotanda;* falsa est hæc disiuncta, vera enim est, copulata, *Nam tibi & ducenda & dotanda erit.*

*Exemplum ambiguitatis eiusmodi in iure est.*

*Iulius & Antonius delegati possunt cognoscere de causa. Sen Iulius & Antonius possunt trabem hanc ferre. Ergo Iulius potest.* Dicat aliquis hanc consecutionem valere, quia a tota copulata ad quam-



quamlibet eius partem, valet argumentum, ut  
*pater & filius sunt in potestate alterius. Ergo & fi-  
 lius.* Atqui respondendum est in priori exem-  
 plo, copulam coniuncte accipi, id est, intelligi  
 de utroq; non vero de altero tantum. *Christiani  
 sunt liberi. Ergo non pendent Principi tributum.*

*De Elenchis Syllogismi.* CAP. XII.

Vitia syllogismi sunt, si alienus sit, si obscu-  
 rus, si in partibus suis ambiguus, si falsus, vel ex  
 parte, vel ex toto. (*Hæ fallaciæ oriuntur ex ma-  
 teria inuenta,*) si denique inconsequens seu in-  
 constans fuerit (*hoc sophisma forme & modi  
 est.*)

Syllogismus alienus est, qui aliud concludit,  
 quam sit propositum, vel qui ad propositâ quæ-  
 stionem non pertinet. Huius quasi species est  
 quasi nullus syllogismus, cum aliena sunt  
 omnia. Hic locus est vulgari regulæ, *Ne sit  
 aliud vel plus in conclusione, quam quod ex præ-  
 missis inferri potest.* Item, *in syllogismo non sint  
 quatuor termini.* Quando *bibo bister, sum quali-  
 ter, Ergo magister dicitur a magis & ter.* Respon-  
 debis alienam esse conclusionem; cum talis es-  
 se debeat, *Ergo bibens magis quã ter, sit magister.*

*De Obscuro.* CAP. XIII.

Obscuritas Verborum vel Rerum est. Illa vi-  
 tium Grammaticæ vel Rhetoricæ, cum vox vel  
 tropus est obscurus, hæc Dialecticæ est. Obscu-  
 ritas in rebus dupliciter fit. Primum cum syllo-



gismi partes multis interpositis confunduntur, seu cum longa oratio interiecta inter partes syllogismi, facit, vt syllogismus vix agnoscat. Deinde cum partes syllogismi de industria reticentur, vt statui non possit, quid inde efficiatur.

*De Ambiguo seu ἀμφιβολία. CAP. XIII.*

Ambiguitas incidit interdum in vnam aut plures syllogismi partes. Et tum sæpe ratiocinantē in errorem falsæ conclusionis deducit.

In inuentionis elencho ambiguum oritur ex argumento. hic ambigua sunt quæstionis partes. Syllogismus igitur ambiguus est, cum ambigua sunt in eo quæstionis partes. Huc igitur pertinet ἀμφιβολία, quæ est orationis ambiguitas, nata ex dictionum syntaxi. Itemq; elenchus compositionis & diuisionis.

*Exemplum.*

Apollinis oraculum erat λοξόν, *Cræsus Halyn penetrans magnam peruertet opum vim, Ego sum Cræsus, Halyn penetrans, Ergo magnā peruertans opum vim, Deceptus est miser Cræsus ambiguitate propositionis ex generalitate orta. Putabat enim, peruersurum se vim hostium, peruertit autem suam. Ibi quæstionis partes sunt ambigua.*

Vulgus Grammaticorum: *date crescendi copiam nouarum, pro crescendarum nouarum. At primum crescendarum, non est Latinum, deinde falsa interpretatio est orta ex mala distinctione. Vera enim lectio hæc est, date copiam crescendi,*



scendi, hoc est, ut crescant ij, nouarum qui spectandi copiam faciunt, id est, *qui nobis faciunt copiam spectandi nouas comœdias*. Elegans Latinitas est, si gerundio, duo adduntur genitiui, quorum alter ad substantiuum, alter ad gerundium refertur. Porta patens esto nulli, claudaris honesto. Hic ambiguum oritur ex mala distinctione.

Operam dederat Logica per aliquot annos, honesto genere natus adolescens Parisiis: domum reuocatus, ut suam sapientiam ostenderet, in mensa patris assidens, cum duo oua sorbilia essent a matre allata; *Quid tuis opus est, cum tantum simus duo*, exclamauit. Patre mirate, quomodo tria esse diceret, an non unum & duo sunt tria? subinquit: tum pater, ego ergo fili, quia ouis delector, duo ista accipiam, tu tertio si uoles utere. Sic ille, cum apposita essent oua, sophisticabatur esse sex, unum, duo, tria sunt sex, in hac patina sunt unum, duo, tria oua, Ergo sex.

*De Falso.* CAP. XV.

Sæpe præmissæ omnes, sæpe una, falsæ sunt. Tum inficiatione utemur, & falsitas refellenda. Huc refer incertum, falsum, cum pro fortuito, pro necessario sumitur, accidentarium, pro *rebus autem*, committitur fallacia accidentis. *Anima est ex semine traduce, Ergo mortalis*. Qualis enim causa, talis est effectus. Antecedens est incertum & dubium. Nam physici certant, & adhuc sub iudice lis est, an anima sit ex parietibus, an cælitus corpori immittatur. Huc etiam pertinet elen-



chus petitionis principij, ut purgatorium est, ergo missa sunt celebranda pro defunctorum animis. Hic antecedens magis dubium est, quam quaestio ipsa.

*De inconsequente seu παραλογισμῶ consequentis. CAP. XVI.*

Syllogismus inconsequens est, qui non conuenit ad normam artis: ut, cum partes inter se non coherent constanter, aut cum praemissa vera sunt, & tamen conclusio falsa. Hic igitur non partium falsitas, sed conclusionis inconsequentia refellitur; quanquam interpretes Aristotelis quidam huius loci paralogismos in materia & forma peccare simul doceat. Græcis est ἀσυνλογιστία, item ἀνακρίθρον, Latinis fallacia consequentis. Quo refertur interdum fallacia a dicto secundum quid ad dictum simpliciter.

*Exempla. Vitia inconsequentia.*

*Omnis liber uiuit, ut uult, ego uiuo ut uolo, ergo sum liber, Error est inconsequentiae, quia in secundo genere simplicium ex omnibus partibus affirmatis uitiose concluditur. Tale est autem hoc: Omnes qui sunt saluati, sunt etiam uocati externe. Simon externe fuit uocatus, Ergo fuit saluatus. *Viua fides est necessaria ad iustificandū, viua fides est, quae habet bona opera, Ergo bona opera sunt necessaria ad iustificationem.* Est fallacia inconsequentis. Talis enim debebat esse complexio, Ergo aliquid habens bona opera, est necessarium ad iustificationem. *Leges cōcedunt usuras, ergo recte faciunt qui exercent usuras.* Nego consequen-*



sequentiam, quia a facto ad ius non valet consequentia. Huc etiam vitium inconstantiae pertinet, cum conclusiones non sunt constantes, sed interdum fallunt. Sic incomposita argumenti dispositione, fallaces & inconstantes modi ab aliquibus traditi sunt, ut cum retinetur consequens, ut retineatur antecedens, Valet enim hoc Cliniae apud Terentium; *Si nihil mali esset, iam hic adessent. Ad iam aderunt, dicit ille Clitipho. Nihil ergo mali, concludit Clinea. At quod sequitur non valet, si Cometa est, lucet, Atqui lucet. Ergo est Cometa.*

De errore methodi. CAP. XVII.

Superfunt vitia Methodi, Alienum & Obscurum (*quanquam ἀτακτον addi posset.*)

Alienum est, quod adhiberi minime necessarium est, ut si quis docendus, doceri maxime velit tantum *πείρα* (ut commonefactiones, exhortationes, reprehensiones) adhiberi ea, alienum, id est, stultum est. Si quis docendus doceri tamen nolit, Vel si potius est oblectandus aut permouendus, quam erudiendus, adhiberi in initio definitiones & partitiones rerum, iterum alienum est.

Obscura methodus fit, primum si res docenda doceatur absq; definitionibus, ut, si in Grammatica voces non distribuuntur in certa genera. Secundo si rem in docendo non distribuas in proximas seu remotissimas partes. Tertio si ordinem partium permisceas & confundas, si partes non prosequare eodem ordine, quo propositae fuerunt, Graecis est *σύνταξις*, id est, pertur-



*batio ordinis* seu histerologia, cum res dicuntur præpostero ordine. Quarto, si explicatio ab obscurioribus progreditur, *ut cum itur a specialibus ad generalia, item a compositis ad simplicia.* Quinto, si inter partes propositæ disputationis digressiones longiores interponas. Tum enim non facile cernitur, qua via & quo ordine, tota oratio progrediatur.

*Exempla.*

*In libris Organi Logici generalis Logica definitio desideratur. Nec definit ibi Aristoteles argumentū, nec causam, cum tamen inter omnes conveniat, ut in omni legitima constitutione, & doctrina res primum, qua de agitur, quid sit, explicetur, sicut in Phædro Socrates admonet. Si quis partes Dialecticæ faciat doctrinam argumenti & enuntiationis, syllogismi & methodi, integrantes & remotiores partes nominat, cum essentielles & propinquiores partes sint inuentio & collocatio.*

*Tertium exemplum.*

*Si quis substantiam diuidat in corpoream & incorpoream, & primum corporeā definiat & pertractet, is ordinem institutum a se immutat. Idem iudicium esto de eo, qui hominis partes facit corpus & animam, & de anima doctrinam tractationi corporis præmittit, Ordinis tamen eiusmodi immutatio, non est vitiosa, cum commoditatis aut voluptatis ratio spectanda est, id quod in methodo prudentiæ fieri solet. Longius digredientibus ab instituto dicere licet, disputare non est de variis clamitare, sed dicere, quæ faciant*



ἡ ἐπιπέδω. Si in Theologia ab homine ad Dei creaturas, a geniis malis ad spiritus, in iurisprudentia, ab emtione ad contractum, in Ethica a iustitia ad virtutem quis deueniat, is progreditur retrogrado ceu cancer vt solet ire pede.

De Genesi. CAP. XVIII.

Genesis est, qua aliquid congruenter legibus & præceptis Dialecticæ condimus, & efficiamus.

Dicta a γένεσις, id est, fieri seu nasci, quod nouum opus arti gignat.

Consistit in Scriptione & Dictione.

Vtraq; est Subita seu extemporalis, vel Cogitata accurateq; facta.

Rursus scriptio & dictio, atque ita Genesis in duo diuiditur genera. Vnum vocatur Imitatio, alterum dicimus Quæstionem liberam.

Imitatio est, cum auctoris alicuius illustris scriptum in aliam rem, ceu aliud argumentum deducimus, ita vt diuersa in expositione & applicatione similitudo sententiarum, compositionis & ordinis constanter seruetur: verbi gratia, si Tyro, cum Ciceronis orationem aliquam audiuit, & iam intelligit in simili materia Dialecticas virtutes eius in inuentione & collocatione rerum pro viribus æmuletur, & exprimat.

Est μερικὴ Partialis vel κατ' ὅλῃς, id est, totalis.

Partialis est, cum illustrem locum aliquem auctoris æmulamur, & imitamur. Totalis est cum totum opus imitamur.



De rerum autem imitatione hic loquimur, qua conuertitur sententia in aliam; verborum enim imitatio est Grammatica Logica, & Rhetorica, cum nimirum singularum, dictionum intelligentia, & verborum coniunctorum phrasi exposita, consimilis alicuius sententiæ thema vernaculo sermone præscribitur, quod propositi auctoris verbis phrasiq; redditur, de qua re licet sumere exempla a Scorio in *libello de ratione lingua Latina & Græca addiscenda*, Item Matthæi Dresseri, & Martini Crusij exercitationibus.

Cæterum in imitatione Logica, operæ pretium fuerit adhibere quædam progymnasmata, & tanquam prælusiones. Id quod ita fiet primū. Thema quoddam proponatur, cuius quærentur vel causæ solum, vel effectus, adiuncta, vel subiecta. Deinde definiatur aut diuidatur ex argumentis primis, tum ex omnibus locis describatur. (*Hinc enim disputandi & amplificandi copia oritur*.) Postea quæstio cum argumento nunc simpliciter, nunc coniuncte concludatur.

Partes syllogismi infirmæ confirmentur.

Præterea in nostris ipsorum Epistolis & in Epigrammatibus, in Psalmis, constituatur thema aliquod, & certa constituantur argumenta. Deniq; thema simplicis rei ducatur per omnia argumenta, quæ primum nude ponantur, ut deinde ex iis omnium generum enuntiationes fiant, ex enuntiationibus vero, si dubiæ sint, assumpto argumento, syllogismi cõficiantur. Thema vero sententiæ non necesse erit confirmari  
per



per omnia argumenta, sed pleraq; , & quidem præcipua. Imo illud interdum ἀδύνατον est, quia materiæ quædam sunt vberes seu fœcūdæ, quædam vero steriles.

## CAP. XIX.

*Continens exempla progymnasmatum.*

Stellæ efficiens, procreans & conseruans causa est Deus. Materia est simplicissima & cœlo similima, siue & aliquid sit ἀνάλογον igni siue aeri, siue aquæ. Forma est densior lux. Finis (*quæ res creatas spectat*) vi sua omnia inferiora vegetare, fouere, & sua luce perlustrare; qui Deum respectat, gloriam diuinam prædicare. Effectus vero sunt fines, efficere gratas vices dierum, & noctium, annorū & mensium, temperare qualitates in natura elementari. Subiectum est firmamentum seu cœlum tanquā locus communis. nam & suus cuiunq; stellæ locus proprius est, aliæ sunt in Zodiaco, aliæ extra Zodiacum.

Obiectum. In quæ agunt stellæ, sunt elementa, corpora nostra, fruges.

Adiunctum. *Orbicularē figurā*, ita infixam esse orbi, vt immota persistat, & tamen cum sua sphaera moueri tanquam vehiculo, longe a terris distare, interdum solis lumine tegi, certum & regularem cursum in cœlo tenere, esse perpetuam, numero comprehendi vel non comprehendi, &c.

Diuersa, fax & stella.

Disparata, Angelus, Cometa, stella.

Aduersa non inuenio, nisi quis, vt vnum &c.



58 M. RODOLPHI GOELENII

multum aduersæ opponuntur: ita aliquis etiam  
stellam & sidus opponere velit.

Relatum Quodammodo est orbis.

Priuantia; stellatum esse, & ἀνασπον.

Contradicentia, stella, non stellæ.

Comparata paria, stella & ἀστὴρ, item stella &  
locus stellæ.

Imparia, maiores vel minores esse terra, ex-  
cedere terram, vel ab ea excedi.

Similia, lucerna, Ecclesia, anima hominis,  
stella.

Dissimilia, stella & vita hominis.

Notationem non inuenio, quæ mihi placet.

Coniugata, stella, stellatum, constellatio.

Integrum. Orbis eius. Pars eius est radius ve-  
hens lucē. Species est stella polaris vel canopus,

Genus est globus vel corpus vel essentia.

Diuisio, stella est fixa, vel rapida, physica, vel  
hyperphysica.

Definitio, stella est globus in cælo, id est,  
corpus rotundum in cælo, densior & lucidus.

Testimonium est sacrarum literarum, & o-  
culorum. Hinc iam fiant Enuntiationes, vt ha-  
beas διπορίαν ἀεθρίστων, id est, *copiam propositio-*  
*num.*

*Deus creauit & conseruat stellas, dispositio est*  
*effecticum efficiente, & enuntiatio est καὶ πάντες*  
*& καὶ αὐτὸ. Stella constant e materia cælesti, quæ*  
*ἀνάλογος est elemento cuiuspiam. Dispositio est ma-*  
*teriata & materia. In stella tamen densior lux*  
*compacta atq; conferta, hinc forma dicitur de*  
*formato.*

Diuer-



Diuerfa. *Quanquam fax est, tamen non est stella.*

*Non Angelus, sed stella est, sunt disparata.*

*Stella est sui orbis stella, est relatio.*

*Si stella est, falsum est, non esse stellam, Contradictentia.*

Comparata, *Tantundem valet stella quam*  
*ars.*

*Stella & locus eius aequales sunt paria.*

*Luna est minor terra, sol maior: imparia sunt.*

*Similia, ut stelle praesunt inferioribus, ita anima corpori, ut stella interdum occultatur, ita etiam Ecclesia in tantas angustias redigitur, ut aliquando vix conspiciatur.*

Proportio. *Quod lucerna est palpitanti in tenebris, hoc stella sunt mundo.*

Diffimilia, *stella & vita. Non ut stelle oriuntur & occidunt, nunc adsunt, nunc absunt, nunc abeunt, nunc redeunt, sic & vita hominis exstinguitur, & vicissim accenditur inquit Epicurei. A stellis caelum stellatum est, stelligerum dicitur, & constellationes oriuntur.*

Testimonium, *Stellas esse testantur experientia & sacrosancta scriptura.*

Nunc fiant syllogismi, sitq; thema refutandum.

*Stella, quae praeluxit Magis, non fuit physica stella.*

Primus syllogismus a fine, usu, & effecto.

*Stella naturalis a Deo ad usum est condita, ut gratas efficiat vices temporum, ut qualitates in materia elementari temperet. Stella Magorum exori-*



ente ad Christum venientium comes, hunc usum non prestitit, sed ideo apparuit, ut Magos deduceret ad natum Christum. Ergo non fuit physica stella.

Secundus, ex speciebus & loco subiecto.

Stella physica est erratica aut fixa; Et quidem stella qua Magos est comitata, non fuit errans neque inerrans, quia existit in aere, Non igitur fuit Physica stella.

Tertius syllogismus, ex adiunctis.

Naturalis stella est corpus perpetuum, interdum non conspicitur in terris, propter maius lumen solis, Et analogum ac certum motum in caelo tenet; stella qua praecessit Magos non fuit corpus perpetuum, (quia neque ante neque post conspecta fuit,) fulsit Et conspecta est interdum, non minus quam noctu, non tenuit regularem cursum, sed se prorsus accommodavit ad iter Magorum, ut cum ipsis Et procederet Et consisteret. Consequitur igitur non fuisse naturalem.

Ultimo, Stella physica tanto intervallo a terra distat, ut exacte nihil possit ostendere. Stella qua praevit Magis, non absuit longo intervallo a terra, quia exacte monstravit Et domum, in qua fuit Ioseph Et Maria, Ergo non fuit naturalis stella.

Secundum exemplum de igne.

Causa efficiens physica est calor intensus de sententia quorundam. Item motus caeli rapidissimus, quod magnam aeris partem secum rapit atque incedit, ut fiat ignis. Prima causa est Deus, qui in Genesi in historia Mosaica condidit ignem, de sententia quorundam Theologorum, cum dicitur: Spiritus Domini ferebatur super aquas. Causa con-



sa conseruans est res sicca, facile inflammatio-  
nem recipiens.

Materia est tenuis subtilisq; essentia ad sum-  
mam raritatem redacta.

Forma est purus feruor, ipsaq; summa atte-  
nuatio.

Finis est aquæ & terræ frigus, in corporibus  
secretis temperare vitalem eorum spiritum, fo-  
uere, coquere, maturare.

Effectus calefacere, aliis rebus alimentum  
præbere, generare.

Subiectum res ignita. Subiectus locus est su-  
prema regio elementaris lunæ proxima. Item  
terræ viscera.

Obiectum est, quod ignescit.

Adiuncta sunt, rotunditas, leuitas, raritas, ca-  
lor & siccitas.

Diuersa, ignem esse, & tamen non esse aerem  
immensum.

Disparata, flamma, terra, aqua, ignis.

Ignis, si ipse calor intelligitur, aduersum ei est  
frigus.

Priuantia ignium est τὸ ἀπύρον.

Contradictoria, ignis, non ignis.

Paria quibusdam sunt aer subtiliatus, calefa-  
ctus & incensus & ignis. Aliqui lucem cœle-  
stem & ignem paria faciunt.

Paria contraria sunt, igne resolui & frigo-  
re condensari. Imparia, Minus quidem aqua.

Maius vero totus mundi globus.

Minus item est res, quæ sustinet vim ignis.

Similia sunt equus, & humor, & ignis, item



orbes cœlestes & ignis. Dissimilia: noster ignis quo nihil est edacius, & ignis quod est elementum. Ignis genus est elementum.

Distributio: Ignis alius potest dici ignis generans seu fouens, alius depascens & desumptiuus.

Definitio ignis, est summa caliditas iuncta siccitati, vel est calor viuificus, singulis rebus inditus; vel est elementum leuissimum, rarissimum, calidissimum & siccum.

Coniugata, Ignis, ignire, ignitio, ignitum.

Testimonium, ignem esse, testantur excoctiones metallorum in cauernis terræ, & chymicorum extractiones.

Ignem non esse Cardanus ait.

*Dispositio diuersorum.*

Enuntiationes, licet ignis sit calefactus aer, eandem tamen cum aere naturam, & proprietatem non habet, vel, est quidem aer subtiliatus, sed non ignis.

*Dispositio disparatorum.*

Non est flamma, non terra, non aqua sed ignis, igne tam resoluantur omnia, quam frigore condensantur.

*Dispositio Maiorum.*

Ignis est maior suo globo inferioribus elementis. Item, si res que sustinent vim ignis aliquandiu sunt calide, multo magis ignis ut causa, calidus erit.

*Dispositio similium.*

Ut orbes cœlestes non cernuntur, sic nec ignis propter raritatem materia non cernitur.

*Item*



*Item similitudinis disiuncta seu proportionis.*

*Sicut se habet equus ad pabula, ita ignis ad res subiectas, at corpus nostrum cibo, equus autem alitur pabulo, Ergo & corpus nostrum fouetur igne. Ut humor ad siccitatem: ita ignis ad frigiditatem se habet, sed humor tollit siccitatem, Ergo ignis tollit & frigiditatem.*

*Dispositio dissimilium.*

*Non ut nulla corpora nascuntur de flamma; sic & ab igni elemento nihil generatur. Hoc enim est generationis & conseruationis rerum causa.*

*Coniungatorum.*

*Ignis ignit ferrum, ex ea ignitione dicitur ignitum.*

*Syllogismus.*

*Si ignis est, cernitur, sed non cernitur, ergo non est. Respondeo, quod non cernitur ignis, in causa est raritas materiae, ob quam eandem causam coelestes orbis effugiunt obtutum nostrum. Syllogismus. Sine calore coelesti viuifico nihil generatur & fouetur. Ignis magni nominis viris est calor coelestis ζωοποιός. Ergo ignis alit, generat, fouet & conseruat. Syllogism. Elementum ignis viuificat. noster ignis vero non viuificat, sed potius consumit, & depascitur. Ergo noster ignis non est elementum.*

*Tertium exemplum Theologicum de maiestate Christi.*

*Efficiens maiestatis Christi in tempore re-*



ceptæ est tota diuinitas, quæ fecit decretionem redemptionis generis nostri & formationem suscepti hominis cooperata est, *vt consilium Tolletanum 6. capite loquitur.* At λόγος ratione essentia absolute consideratus, seu extra communionem, accepit maiestatem suam a patre, non temporis, sed ordinis respectu. Est enim æterna maiestas, vt generatio æterna est ex patris scilicet substantia.

*Materia.* Materia loco est genus, scilicet gloria & dignitas.

*Forma,* est quod Christi excellentia, partim est æqualis maiestatis patris, partim superat gloriam omnium creaturarum.

*Finis maiestatis,* vt creatura rationalis eum celebret in omni æternitate, vt Christus recte salutariter ac efficaciter defungi posset officio mediatoris & redemptoris.

*Maiestatis opposita & diuersa* sunt maiestas ipsa seu gloria participatio & localitas. Etsi enim sedet Christus ad dextram maiestatis, tamen sedet in excelsis, id est, supra omnes cælos, & licet data sit Christo maiestas, tamen non adempta est ei localitas, & licet Christus Ephes. 2. dicatur a patre poni caput Ecclesiæ, tamen hoc non derogat maiestati ipsius λόγος, id est, Deitatis.

*Disparata* sunt maiestas Christi, Angelorum, principis, cancellarij doctoris.

*Aduersa* est maiestati ac gloria Christi humiliatio, quod se abiecerit filius Dei infra omnes homines, vt coram æterno patre iacuerit prostratus



stratus ac supplex pro nobis, deriuata in ipsum  
vera ira aduersus nostra peccata, perinde ac si se  
ipse nostris sceleribus polluisset.

*Priniantia*] Secundum humanitatem non est  
exæquatus Deitati Christus. Sic enim Symbo-  
lum habet Athanasij, *aqualis Deo secundum di-  
uinitatem, minor vero secundum humanitatem, &  
ipse Christus inquit, pater maior me est.*

*Similia*] Similis ex parte maiestas Christi,  
quatenus homo, est claritati solis.

*Dissimilia*] Non talis maiestas Christi, qualis  
mortalis & impotentis homuncionis.

*Notatio*] Maiestas dicitur a maius, quasi ma-  
ior dignitas seu amplitudo.

*Coniugata*] Maiestas, maiestaticus, maiesta-  
tice.

*Partes*] Partes maiestaticis Christi sunt septem.  
*Prima*, natiuitas ex æterno patre. *Secunda*, vni-  
uersalis præsentia, immensa potentia, absoluta  
& summa bonitas, infinita sapientia, id est, inef-  
fabilis misericordia. *Tertia*, unio hypostatica, &  
personalis. *Quarta*, communicatio idioma-  
tum. *Quinta*, exaltationis gloria, sessio ad dex-  
tram patris, beneficia redemptionis, amplitudo  
imperij. *Sexta*, adoratio. *Septima*, dona perfe-  
ctionis seu excellentia donorum, quibus exor-  
natus est, quam patres interdum vocant Deifi-  
cationem. Hæc enim donorum collatio seu *θεοποίησις*,  
ut *Justinus loquitur*, ad communicationem  
idiomatum distincta est.

Ex his partibus *prima & secunda* respiciunt  
*θεοποίησιν* & naturam λόγου seu Deitatis, & λόγον



proprie tribuuntur, non humanitati. Nihil enim ex æterno patre nascitur præter solum λόγον. Et nihil præter solum Deum est infinitum & immensum. *Tertia & septima* respiciunt naturam assumptam. Ea enim cum verbo diuinæ naturæ unam constituunt *ὑπόστασιν*. Et hinc homo Iesus Nazarenus vocatur, & est Deus. Hinc recte dicitur, *caro Iesu Nazareni facta est Dei caro, Corpus Iesu Nazareni factum est Dei corpus*. Est & humana natura ἀναμάρτητος, id est, absq; peccato, & alias habet prærogatiuas, quibus & angelos & nos excellit. Et hinc dicitur *Iesus Nazarenus diuinus*, imo *summe diuinus homo*, & *corpus eius diuinum & gloriosissimum*, *caro eius perfectissima*. *Quarta* recipit personam seu personam, quia Deus & homo est, unitatem, & hominis Christi gloriam amplificat. Filius enim Mariæ est conditor cæli & terræ, & ubiq; est præsens, quia una & eadem persona est Deus & homo, persona nimirum in duabus subsistens naturis. *Quinta* officium Christi respicit, & toti personæ tribuitur, & Christo conuenit secundum utramq; naturam. Christus enim est noster Mediator, redemptor, iustificator, saluator, summus sacerdos, Ecclesiæ caput, pastor secundum utramq; naturam, sedet ad dextram Dei, & dominatur omnibus creaturis secundum utramq; naturam, seruata utriusq; naturæ proprietate. *Sexta* videlicet, adoratio respicit & personam unitatem, & arctissimam copulationem duarum naturarum in Christo, & maiestatem officij seu potestatem saluandi & liberandi genus

genus



genus humanum, a peccato & morte, & dandi vitam æternam. Quare ad totam personam, quæ *θεάνθρωπος*, dirigitur, non ad alterutram naturam seorsim.

*Species seu diuisio maiestatis.* Alia est *τῆς ἐσσίας* & *λόγου*, id est, essentiæ verbi maiestas, alia *τῆς οἰκονομίας*, id est, dispensationis seu ministerij & missionis. Maiestas essentiæ verbi est, esse Deum *ὁμοῦσιον, ὁμοαἰδιον, ὁμόπρωον*, id est, *coessentialem, coæternam & coequalem gloria.* De hac Anastasius in Symbolo; *Patris, filij & spiritus sancti, una Deitas, æqualis gloria, æterna maiestas,* Et Cyprianus lib. 6. cap. 4. *Et si corporis sui præsentiam hinc subduxit, maiestate tamen diuinitatis semper adest.*

Hæc maiestas *λόγου* est, & manet idioma essentialiale ipsius, & nulli creaturæ secundum se ipsam & in seipsa realiter competit.

Maiestas *οἰκονομίας* est *λόγου* incarnati, seu Christi Dei & hominis gloria.

Hæc priore quidem inferior, sed tamen nihil habet in tota rerum naturam, quod ei æquiparetur.

*Subdiuisio*] Maiestas œconomix est tum assumptæ tum officij, conueniens Christo secundum vtramq; naturam. Illa est ex vnione per se considerata, hæc ex fine vnionis, propter quem vnio facta est.

De maiestate humanitatis dictum ad Heb. 2. intelligitur, *Non angelos, sed semen Abrahe assumpsit.* Item dicta hæc Luc. 2. *Proficiebat sapientia.* Psalm. 45. *Vnxit te Deus præ consortibus tuis.*



Luc. 6. & 8. *Quando attingitur corpus Christi, exit virtus. De illo Matth. 14. Ambulat supra fluctus maris. Et alia, quæ loquuntur de donis spectantibus ad carnis assumptæ glorificationem.*

De maiestate officij dicit Christus; data est mihi (*soli salvatori secundum Athanasium*) omnis illa potestas liberandi genus humanum a peccato & morte, ac dandæ vitæ æternæ, repellendi hostes, & exercendi Iudicij, in quo damnaturus sum incredulos, salvatis fidelibus, omnia deniq; , quæ mediatori congruunt non minus potenter quam sapienter, & mirando cum successu, contra inferorum portas transigendi. De hac item gloria loquitur dictum: *Omnia mihi tradita sunt a patre. Item, dedisti ei potestatem omnis carnis.*

*Definitio*] Definitio nominis maiestatis significat magnificentum gloriæ splendorē & eminentiam. *Definitio rei*, Maiestas Christi est summa gloria, splendor, *ἀξία καὶ ἰσχύς*, id est, dignitas, perfectio, eminentia personæ & officij eius, a creaturis rationalibus summa cum reuerentia & cultu agnoscenda & prædicanda. Testimonia iam ante dicta sunt sparsum.

Nunc ad ipsam imitationē accedimus. Remigitur, quam imitandā suscepimus, summā quaestionē, quo pertineat, & quo ex fonte inuentionis sit desumpta, considerabimus. *Secundo* inuentionis mēbra reliqua & methodū inspiciemus, distributis generalis quæstionis partibus & mēbris in sua capita inuentionis, & methodo diligenter examinata & iudicata. *Tertio* amplificationes



cationes & prosyllogismos suis locis, ac verborum & rerum quarumvis ornatum in membris singulis observabimus. *Quarto*, præcursione interpretationis, & lumine explicationis verborum & rerum, adeoq; virtutibus auctoris ad imitandū propositi cognitis & perspectis, quæstio aliqua consimilis earum rerum, quæ ab illo tractantur, imitanda proponetur. *Quinto*, quæstionem imitationi propositam, quam maxime ad similitudinis expressionem accommodabimus, & quoad veritas rei latens est, inventionis, dispositionisq; membris accurate & ad vium fere in proposita quæstione expressis, sententias sententiis, periodos periodis, incisa incisus, membra membris quasi æquissima lance distributa opponemus. Ita enim inventionem acuemus, & iudicandi peritiā confirmabimus, nec leuiter purum & incorruptū sermonem augebimus. *Ad extremum* imitatio non seruilis, sed liberior esse debet, licet enim addere, detrahere, commutare, transponere.

Cæterum bono imitatori tenendum est, ut conetur non tantum efficere aliquid par, sed etiam interdum melius. Maxime ei etiam habenda est ratio τῆς πρέπουτος, id est, decori & vitanda τῆς εὐροδξίας, & τῆς ἐνφανίας. At enim dicat aliquis, *An non imitari est furari? Imo vero.* Respondeo, est velitari & certare cum antiquissimis. Si integra verba transcribimus, hoc est furari.

*Exempla imitationis supra in inventione posita.*



Imitatio exempli primi Poetici in Analyfi.  
 Sit propositio? *Mene incepto desistere victam,*

Imitatio sit indignationis similis, hoc pacto,  
*ego igitur a peccatis nunquam liberabor?* Argumentum, *quia e corde vitiositatem nativam, & affectiones malas expellere nequeo.* Syllogismus, cui propositio deerit; Perfectus est talis, *si cordis vitia eradicare non licet, nunquam liberabor a peccatis.* Sed primum, Consequens ergo, Pro syllog. Ass. quippe *vetor sanguinis & originis natura depravata.* Hic tamen pro syllogismus refutabitur ab exemplis, eritq; refutationis questio, peccatum originis tolli posse: Argumentum, *quia ex patribus multi etiam in gravissimis delictis divina gratia adiuti, peccatis quodammodo repugnare, & resistere potuerunt.* Syllogismus perfectus talis est: *Si maiores peccatis resistere potuerunt, Ergo & ego resistere potuero Dei auxilio.* Assumt. *Sed isti restiterunt, Ergo & ego.*

Imitatio secundi exempli.

*Aole namq; tibi, &c.*

Petitio similis sit, vt Deus suo spiritu genus humanum regat & emendet. Argumentum a relatis paribus addatur. Exordium petatur ab adiunctis & effectis Dei. *O Deus tibi vni potestas rerum omnium, quia tu hanc in iis exercere soles.*

Narratio occasionem petitionis exponat; quia generis humani natura ad interitum presentissimum ruit, peccatis peccata cumulat, & caelum miscet auerno.

Propo-



Propositio sit, *Incute vim malis, infernasq, obrue diras, & resiste Diabolo.* Confirmatio, *sunt homines, qui grato ore domine tuum nomen predicabunt, & glorificabunt.* Prosyllogismus a finibus, *Ne praestantissima creatura tua turpissime intereat, & tui dissimilis imago sit, sed perpetuo tecum viuat.*

Imitatio tertij exempli.

*O socij neq, enim ignari, &c.*

Thema sit hortationis ad diligentiam in studiis continuandis. Adhibeatur duplex argumentum, primum a maioribus, secundum a finibus. *O pueri (neq, enim ignari sumus ante laborum! O passi grauiora! Amplificatio ab effectu, dabit quoq, hac res vberem fructum.* Prosyllogismus a similibus, *Vos & fontem Asinorum superastis, partē aliquam itineris ad Parnasi iuga emensistis; Nullus & nemo, qui mordebant se in sacco, & vobis interfecti sunt, scopulos Grammaticorum prateruecti estis, saepe ferulam experti estis.*

Sequitur sententia hortationis, *Renocate animos, vigilemq, laborem in artibus sumite.* Argumentum a finibus, *Et hac olim vos neglexisse pigebit, per varios casus, per tot molestias rerum ad Palladis arcem tendimus, metas tibi Musa ostendit.* Amplificatio ab effectibus, *Illic vobis aurea surgent secula.*

Conclusio; *Durate & vosmet studiis seruate melioribus aptos.*

Primum exemplum.

*Siccine me vincitum peccati iure teneri?*



Nec posse ex anima nativam pellere labem?  
 Quippe veter carnis vitio tristiq; reatu.  
 Numinis auxilio patres ne resistere multi  
 Peccatis potuere, quibus foedata Papatus  
 Sorde fuit verbi lux? sixas pectore flammis  
 Et furias animi vincire, ut congrua legi  
 Vita esset: quid ego, qui Christi signa secutus,  
 Aura divina afflatus, convertor in hostem?  
 Et vincam, quisquam de Christi nomine nomen  
 Expetat, ut cassis verbo nos gentibus aquet.

## Secundum exemplum.

Christe Deus, tibi namq; pater cœli atq; solirex,  
 Et mulcere hostes dedit & prosternere verbo,  
 Gens inimica mihi mille intentare pericla  
 Ausa furit, cœlumq; imo commiscet auerno.  
 Ineute vim pravis, Sathane compeisce tumultus,  
 Tu labia & plectrum, nobis cum corde dedisti,  
 Hec, dum vita manet, soli tibi sacra dicabo.  
 His grates cantabo tue preconia laudis,  
 Omne ut sic tecum cœli regione per aevum,  
 Vivam, nec pereat manuum labor ipse tuarum.

## Tertium exemplum.

State viri, neq; enim immemores sumus ante la-  
 borum.  
 O passi graviora, dabit Deus his quoq; finem,  
 Et vos infernam rabiem rigidosq; tyrannos  
 Vidistis: Vos & mundi conuitia dira  
 Experti: reuocate animos, mœstumq; timo-  
 rem,  
 Mittite, & hec quodã placide tolerasse iuuabit,  
 Per varios casus, per tanta pericula rerum,  
 Ten-



Tendimus in caelum, sedes ubi Christe beatas  
 Omnibus ostendes, qui te coluere, tuumq;  
 Ob nomen sunt passi: Illic regna aurea surgent.  
 Durate & mecum casusq; manete per omnes,  
 Durate & vosmet rebus seruate futuris.

Quartum exemplum ex initio lib. Aeneid.  
 ubi dicitur, annuus exactis com-  
 pletur, &c.

Hoc loco Virgilius agit de exsequiis Anchi-  
 sae parentis Aeneae.

Hunc accommodabimus ad parentalia, seu  
 annum carmen in obitu docti alicuius viri.

Annus exactis completur mensibus orbis,  
 O coetus varij Iuuenumq; virumq; decori,  
 Ex quo reliquias diuinisq; ossa Philippi  
 Condidimus terra, & maestas defleuimus um-  
 bras.

Iamq; dies lugubris adest, quem semper acer-  
 bum,

Semper honoratum, dum vita manebit, habebo.

Namq; ego si Scythicis agerem regionibus exul,

Annua iusta tamen funebresq; ex ordine pom-  
 pas

Exsequerer, illi, si fas, altare sacrarem.

Nunc ergo ad cineres, sanctissima busta Philippi,

Adsumus una ultro, & lacrymis licet ora ma-  
 descant,

Vt vix singultim possimus dicere pauca,

Fert animus nostro persolvere iusta parenti.

Ergo agite & cuncti maestum celebremus ho-  
 norem,



*Membris exigui, magni sed in arte Philippi.  
 Poscimus Christum, nos hæc ut sacra quotannis  
 Hac facere vrbe velit, qua sunt pia iusta Phi-  
 lippi.*

*Orefaucte omnes, vobis ego voce praibo.*

## CAP. XX.

Imitatio Epistolæ V. lib. III I. cuius  
 initium est.

*Posteaquam mihi renuntiatum est, &c.*

Propositio est, ne nimium angaris de iactu-  
 rarei familiaris.

Hæc sententia confirmabitur totidem argu-  
 mentis, quot habuistis in Analyti. Exordium  
 item & conclusio fere eadem hic, quæ istic.

*Posteaquam mihi renuntiatum est de iactura  
 rei tue familiaris, sane quam pro eo ac debui gra-  
 uiter molesteq, tuli, communeq, id domesticum  
 malū, existimaui: qui si istic affuissem, neq, tibi de-  
 fuisset, coramq, tibi consilio meo profuissem. Etsi  
 genus hoc consolationis tenue & exiguum est, ta-  
 men, quæ in presentia mihi in mentem venerunt,  
 de iis decreui te breuiter admonere, non quod mea  
 sapientia te inuari credam, sed quod omnino amo-  
 re adductus aliter facere nequeam. Hactenus ex-  
 ordium.*

## Propositio.

*Quid est, quod te tantopere excruciet rerum  
 tuarum immutatio? cogita quemadmodum adhuc  
 natura nostra lapsus nobiscum egerit, & nobis eri-  
 pi quotidie, quæ hominibus non minus quam ipsa  
 vita*



vita cara esse possint, valetudinem, honestatem, mentem & omnem vitæ frugalitatem. Hoc uno incommodo addito, quid ad calamitatē adiungi potuit? aut qui non in illis rebus exercitatus animus māsue fieri debet, atq; omnia æquius ferre? An paupertatē credo metuis? Quoties in eam cogitationem necesse est ut tu veneris, & nos sæpe incidimus, his temporibus admodum præclare cum iis esse actum, quibus sine magnis diuitiis fas est vitam cum tranquillitate coniunctam agere. Quid autem fuerit, quod te hoc tempore ad cumulandum opes magno-pere exstimulare posset; quæ res? quæ spes? quod animi solatium? ut inter alios ciues ditissimos excelleres? & magnam gloriam aucupareris? licitum est tibi credo pro tui animi magnitudine & liberalitate in hac rerum omnium frugalitate fructum deligere, cuius perfectionis diuitias tuas ad magnum nomen possidendum te tuto committere posse putares? an ex iis questum faceres, cuius cum florentem successum videres, amplitudine letareris? Sed interim res partas paulatim in libidine deuorares, in amicorum etiam egestate, liberalitati parceres? Quid horum fuit, quod non prius quam usurpatum, ademtum velis? At vero malum est partas res amittere? Malum est, nisi hoc peius sit istis prorsus se dedere. Quæ res mihi maximam consolationem afferat, volo tibi commemorare, si forte eadem res te confirmare & ad æquitatem animi reducere possit. In lectionem historia incidens cepti calamitates hominum omnium temporum considerare. Principio Iudæa occurrebat; Deinde Ægyptus, hinc tota Græcia: Hinc ipsa Roma, quæ quondam



florentissima loca fuerunt, nunc longe aliam spe-  
 ciem habent. Cœpi egomet mecum cogitare: Hent  
 nos homunculi dolemus, si quid e nostra re fami-  
 liari interiit aut amissum est, quorum comodi-  
 tas minor esse potest. cum uno loco tot hominum  
 uniuersæ facultates proiectæ iaceant, vis ne tu te  
 cohibere & meminisse unam tibi detrabi earum.  
 Crede mihi cogitatione hac non mediocriter con-  
 firmatus sum. Hoc idem si placet fac, ut ob ocu-  
 los tibi ponas. Paulo ante uno tempore tot clarissi-  
 ma oppida mari terræq; vastata sunt. De totius fi-  
 nitime regionis usu, fructu & possessionibus præter-  
 ea tanta diminutio facta est, omnes ciues enervati  
 sunt, in unius lucelli particula, si iactura facta sit  
 tantopere commoueris? Quæ si hoc tempore non  
 accidisset, paucis post annis tamen omnes pecunia  
 tibi relinquenda fuerint, quoniam huic vita uten-  
 de fruenda sunt concessæ. Etiam tu ab hisce animis  
 aliorum auoca, atq; ea potius reminiscere, quæ tua  
 amplitudine digna sunt; illa bona quandiu tibi o-  
 pus fuerat inseruisse, una tecum fuisse, te Chri-  
 stiani nominis & religionis studiosum, ad eter-  
 nam vitam collimasse, huic per baptismum con-  
 secratum fuisse, ista bonorum parte perfundum es-  
 se, cum abusus accederet ab ipsorum usu destitisse.  
 Quid est, quod tu aut quisquam cum fortuna,  
 hoc nomine queri possitis? Deniq; noli obliuiscite  
 pietatis magistrum esse, qui aliis consueueris diui-  
 tiarum contemptum præcipere & persuadere: Neq;  
 imitare malos legesatores, qui in alienis vitiis a-  
 nimaduertendis profitentur se legum habere pote-  
 statem, ipsi sibi licentiam omnem somniant, sed po-  
 tius



ius qua aliis praecepta, ea tute praescribere soles, tute tibi subice. Nulla diuitiae sunt, qua non occasio fortuna afferat & comunicet, auferat & eripiat. Illud amplum fortuna patrimonium te cum dolore expeteret tibi turpe est, ac non eiusdem iacturam, virtute tantum animi vincere. Quod si quis etiam studiorum communium sensus est, qui collegij totius amor in te fuit, pietasque in omnes eius ordinis homines, hoc certe illud te facere non vult, Da hoc uni, da ceteris familiaribus, qui tuo dispendio mcerent, da ordini tuo, ut si in simili malo opus sit, tua auctoritate & consilio uti aliquando possint. Denique quoniam in eam fortunam deuenimus, ut etiam temporis nobis seruiendum sit, noli committere, ut quisquam te putet non tam vita necessarium victum, quam potentia & vera gloria spem lugere. Pluribus me cohortari sapientem pudet, ne videar superstitiose prudentia tua diffidere. Quare si hoc unum proposuero, finem faciam scribendi. Vidimus hactenus te in abundantia rerum pulcerrime ferre successum felicem, magnamque ex ea re laudem adeptum. Fac aliquando intelligamus in egestate te aduersam fortunam aequae ferre posse. Neque id grauius quam deceat tibi onus videri, ne ex multis tuis laudibus, haec etiam deesse tibi videatur. Quod ad fratrem tuum attinet, cum occasio mihi melior fuerit de eius rebus, quas hic geret, quemadmodum familia eius se habeat, certiore faciam.

Conclusio Imitationis.

Hic ergo primus campus est, in quo Dialectica Genesis versari debet. Eiusmodi autem imitatio cum tyronibus plurimum profit in iis diu-



multumq; exercebuntur, magnum operæ præ-  
tium erit, si sententiosos versiculos poetarum  
imitentur. Verbi gratia. Ennius: *Vnus homo no-  
bis, cunctando restituit rem.* Imitare sic;

*Vnus homo nobis moriendo restituit rem.*

*Vnus homo nobis fabricando restituit rem.*

Virgilius:

*Tanta molis erat Romanam condere gentem.*

*Tu sic immuta. Tanta molis erat nostram re-  
parare salutem.*

*Hec tibi Penelope, &c. Ouid.*

*Hastibi sponsa notas mitto lentissime sponse,*

*Ne mihi responsum redde, sed ipse veni.*

Item:

*Non est in medico semper releuetur ut ager, &c.*

*Non est in peris, ut concilientur amores.*

*Plus pietas nummis irreprehensa valet.*

Item:

*Vino forma perit, vino corrumpitur atas,*

*Vino sepe suum nescit amica virum.*

*Vino forma viget, vino fit alacrior atas,*

*Vino sepe suum querit amica virum.*

Item:

*Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.*

*Nulla salus terris, coelum te poscimus omnes.*

*De Quaestione libera. CAP. XXI.*

Sequitur alterum dictionis & scriptionis ge-  
nus, quod fit sine vlla imitatione. Idq; multum  
proderit adultis, qui aliquandiu vires ingenij  
& prudentiæ imitatione virtutum hominum  
prudentium exercuere atq; auxere. Si igitur li-  
beram aliquam quæstionem explicabunt, eam  
autem



autem dicimus omne thema, cuius tractatio ad nullius auctoris exemplum accommodatur, sed propria industria explicatur & conficitur, hæc altera geneseos via multum ipsos iuuabit; Hæc inquam altera Geneseos via, eaq; perfectior & difficilior.

Huius tractandæ, id est, componendæ præceptum vnum esse potest, vt omnes inuentio- nis artes & collocationis doctrinas excitemus, nullum intentatum argumenti genus relinqua- mus, omnibus syllogismorum simpliciũ & con- iunctorum modis computemus; & rebus, quæ tractabuntur via & ordine, collocandis plane & facile quæstionem propositam deducamus.

Sed & liberæ quæstionis tractatio habet sua progymnasmata, contractiorq; & imperfectior est, seu incoata quodammodo, vel est plena, vel perfecta. Progymnasmata sunt futurorum ope- rum quasi delineationes, quo pertinent tracta- tiones gnomarum, Chriarum, Apophtegma- tum, & succinctæ declamatiunculæ. Exempla, afferentur infra.

Plena tractatio artem exprimit perfectius, eaque sic absoluitur. Primo quæstionis vtra- que pars subiecta & attributa per omnia fere argumentorum genera deducitur. Deinde in- uenta vtriusq; partis propositæ quæstionis ar- gumenta, *Primum* cum consequente parte quæstionis disponuntur, vt fiat syllogismi maior propositio; *Deinde* cum antecedente quæstio- nis parte similiter collocato, vt fiat assumptio, quam necessario conclusio sequitur. *Tertio* ar-



gumenta vario modo proponuntur & concluduntur, & pro natura rerum, temporum, locorum, vel secundum Martis, vel secundum prudentiæ methodum, disponētur. Partes infirmæ syllogismi approbabitur, ornabuntur, illustrabuntur, amplificabuntur. Sæpe commoratio & digressio in loco aliquo adhibebitur. præsertim, ubi incidunt loci communes, cum quæstione etiam inuentæ res disponendæ sunt, pro sua natura, in suadendo, hortando, accusando, commendando, gratiis agendis. *Ultimo* sententiæ contraria vice refutabuntur argumentis contrariis.

## CAP. XXII.

*Formula tractandæ Chrias.*

Diuinus ille Plato dicere solebat, *frondes virtutis enasci atq; efflorescere de sudoribus & laboribus.*

*Approbatio Chrias.*

Æquum est, nos suspicere Platonem Philosophum tantū, quantus vix vnus fuit vllus. Philosophum inquam, qui non modo Logicas & Physicas artes, sed etiam Ethicam summa cum admiratione monumentis perpetuis disputatas signauit. Dixetis in eo fuisse consummationem sapentiæ humanæ, fuisse, eum speculum artium omnis secretioris Philosophiæ patrem, aut si mauis Deum. sane longum, omnia illius præclara & cum laude dicta, quibus omnium ordinū homines instruxit, recensere. De virtute, quam illustre est dictum sapientiæ ipsius.

*Expo-*



*Expositio seu narratio Chrias para-  
phrastica.*

Qui virtutem venatur, necesse est, eum multos eosq; duros labores deuorare, omnis generis molestias cum sudore etiam cōiunctas, tum demum fiet, vt virtutem cum præclarissimis præmiis nanciscatur. Quod quam præclare dicatur, videamus licet.

*Explicatio per partes.*

Amatores enim virtutis aliquid de somno detrahere, voluptati nuntium remittere, hostium insultus pertimescere, corripientis fulmina pati sæpe, pecuniæ iacturam facere, sæpe etiam plagas ac paupertatem sustinere, difficulta deniq; itinera suscipere coguntur.

*Inter nemo suos euasit magnus amicus,*

*Ars bona in ignota vult regione peti.*

Quod si quis hæc detractet & reformidet, vt delicatuli & aureoli nostri filij consueuerunt, ei virtutis vsu fructu carendum est, & in hac detractione ac formidine ipsa eripitur vniuersa. Ista igitur omnia adduxerunt eo Platonem, vt frondes virtutis e sudore & laboribus efflorescere diceret.

*Amplificatio per comparationes si-  
milium.*

Quemadmodū enim, qui frugū emolumentum percipere student, labores multiplices nō recusant in agro colendo, non frigus, non ventos, non æstum, non imbres timent: Sic qui virtutem expetunt, nulli labori parcunt.

**F**



*Ab exemplis amplificatio.*

Intueatur aliquis mihi Iulium Cæsarem historia nobilitatum, Herculem illum a multis decantatum, Æneam Virgilij tuba celebrem, & Vlysses. Vita horum bone Deus, quam fuit laboriosa? At virtutis laude quam præstans.

*A testimoniis antiquorum.*

Vt iam facile intelligi possit dignum esse *ἵππο* Isocratem & Hesiodum, quorum hic virtutis iter asperum, ille artium radicem amaram esse pronuntiauit. Quorum quidem sententiæ cum hac nostra Platonica eadem sunt. Quod Hesiodus & Isocrates iter asperum & radicem amaram dixerunt, id sudor & labor Platoni est.

*Conclusio Chrias.*

Hæc ergo cum ita sint, par est admirari Platonem, & eum, qui de virtute humanæ conso- ciationis tutrice tam memorabile dictum tanquam oraculum e studio sapientiæ suæ protulerit.

Ex hoc exemplo ratio tractandarum Chriarum, Gnomarum, & Apophthegmatum peti potest. Ad eundem modum si tractare velis sententiam Basilij, docentibus tam opus est locis illis, quam sinistræ opus est dextra, id est, commendabis sententiam propositam, vel etiam ipsum auctorem Basilium ex effectis & adiunctis. Deinde amplificationes adhibebis, qua usum dicti explicabis. Tertio accedet confirmatio e causis, e dissentaneis, e cōparatis ab exemplis & testimoniis. Quarto concludes breui Epilogo.

De



*De Declamationibus.* CAP. XXIII.

Ad declamationes conscribendas apprime necessaria est doctrina de partibus orationis differtorum hominum. Primum igitur de Exordio, deinde de Narratione, Propositione, Confirmatione, Confutatione, & de Peroratione agemus.

In Exordio videbimus de horum materia seu locis, vnde sumenda sunt. Deinde de forma seu dispositione, hoc est consecutione partium exordij. Tertio virtutes exordiorum illustrabimus a contrariis vitiis.

*Vnde potissimum sumuntur Exordia?*

1. Primum Exordia ducuntur a re ipsa seu subiecta materia. Cum nimirum sine verborum ambagibus statim generaliter proponimus, quae de re dicturi simus. Hic licet nostram causam laudare, aduersariorum vero vituperare modeste. Sequitur exemplum.

Exemplum declamaturi de prouidentia diuina.

*Propositio Exordij.*

Magna fuit semper disceptatio, variaque hominum opinio de prouidentia diuina. Quidam enim prorsus remouerunt Deum a cura & administratione rerum humanarum, nonnulli quidem agnouerunt Deum & creatorem mundi, sed tamen diuinam eius potentiam & vindictam extenuantes, eum omnibus vitiis frenare laxare putarunt.

2. Petuntur a personis vel nostra vel audito-



rum, vel aduersariorum, quæ tamen interdum etiam coniunguntur.

Cum a nostra exordium sumimus persona, modesta, verecunda, & breui extenuatione ingenij atq; virium nostrarum vtendum est, vel quid nostri officij sit ostendendum.

*Exemplum.*

*Intelligo quam exiguum mihi ingenium, quam exilis dicendi facultas, quorum utrumq; me merito detererre possit, ne verba ex hoc loco faciam.*

Cum ab auditorum persona dicere incipimus, modice eos laudare, vel certe honorificã illorum mentionem facere oportet.

*Exemplum.*

*Insignis vestra, auditores lectissimi, sæpe erga me declarata beneuolentia, indies magis magisque placere mihi incipit, ac quasi exstimulat, & exirudit me, ad sæpius ex hoc loco angusto perorandum.*

Ab aduersariorum persona: cum eos in inuidiam, odium & contemptum adducimus.

*Exemplum a nostra & aduersariorum persona.*

*Spero vitam & mores meos ita esse compositos, vt bonis omnibus probentur. Neq; enim vnquam molestiam aut periculum cuiquam creauit: & iudicia publica quantum potui vitauit. Verum cum virulentus iste meus aduersarius obruere me conuitiis & mendaciis non desistat, spero veniam personæ meæ dignam me impetraturum, si cum eo iusto iudicio concertaui. (ductum ex adiunctis vtriusq;.)*

*Exem-*



*Exemplum a persona nostra & auditorum  
itemq; re ipsa.*

*Intelligo quam curta (ut cum Poeta loquar) sit  
mibi supellex, meoq; me modulo ac pede metior.*

*Intelligo quam ardua sit res, de qua sum dicturus.*

*Intelligo deniq; quam politum, limatum, & acu-  
tum, sit vestrum iudicium.*

3. Tertio ordimur a causis vel occupationi-  
bus, cum nimirum exponimus, & declaramus  
quid nos ad dicendum impulerit. Huc referes  
tempus, sæpe enim ratione temporis, ad decla-  
mandum de aliqua re commouemur. Hoc ex-  
ordij genus est valde frequens. sæpe enim res  
cogit in exorsu orationis nostræ, ostendere  
causam instituti nostri & consilij, ne vel temere,  
vel ambitione quadam aliquid humeris nostris  
suscepisse videamur.

*Exemplum.*

Si quis præclarum aliquod factum Romani  
alicuius laudare velit, sic ordiri potest, id est, (ta-  
le capessere initum orationis potest.) *Ne quis  
miretur, velim, quod multis præclarissimis nostro-  
rum hominum factis, præteritis, ad ea celebranda  
me conferam, quæ multis abhinc annis apud ve-  
teres Romæ cum laude sunt gesta. Non enim insci-  
enter id facimus, sed consulto, tum ut inflamme-  
mur ad historiarum studium, tum vero quod, vix  
pauca reperias, hac nostra ætate cum istis antiquis  
conferenda.*

*Aliud.*

*Nemini vestrū mirum videri debet, quod ego*



iuuenis neq; ingenij bonitate nec optimarū artium doctrina imbutus ad dicendum ascenderim. Non enim audacia me impulit, nec ambitione, nec ingenij confidentia aliqua motus sum, sed honesta causa eo me protulerunt.

*Tertium exemplum a tempore.*

Mouemur hoc tempore, quo Ecclesia festum Michaelis Archangeli peragit, ut ardentius causas & fines creationis Angelorum consideremus. Etsi enim nullo anni tempore huius diuini beneficii obliuisci debemus, quod bonos genios, tanquam corporum nostrorum stipatores & animae defensores condidit & creauit, tamen hoc potissimū tempore tota mente atq; omni animi cogitatione in id intentos nos esse conuenit, ut & sciam & officia spiritualiū illarum flammarū, probe intelligamus, &c. Deo agamus gratias pro creatione Angelorum.

4. Quarto ordimur interdū a Gnoma, Chria, Apophthegmate aliquo, fabula & similitudine. Sic Cicero lib. 3. Officiorum orditur sic, Scipionem memini dicere se nunquam minus esse otiosum, quam cum esset otiosus, nec unquam minus solum, quam cum esset solus. Hanc Chriam Cicero laudat, expolit, & ad sese applicat.

*Aliud.*

Prestans ille Callistratus recenset, veteres finxisse occasionem pulcrā puellam, volubili rota vel pennatis pedibus insistentem, alata talaria in dextra tenentē; capitis priori parte capillosam, post glabram, ut significarent commoditatem & oportunitatem celeriter prateruolare, & nunquam, vel certe



certe raro venire, nec semper apprehendi posse. Hac imagine proposita, saepe vobis cogitandum est, ne vobis frustra tempus elabatur, nec cum *δυσχελεῖαν* adepti simus studia eloquentiae colendi, ipsi nobis desimus.

*Aliud.*

Sicut is stultum *ἔστιν ὑπερκαταμέλειον* quoddam committit, qui quintam addere vult currui rotam; Ita mihi ab omnibus ridendi videtur, qui *μωτικότε-  
χνας*, id est, vanas artes addiscere student, *ἔστιν* in *παρέρχῃς* laborant, missis *ἔργῃς*, quia est ineptius quam superuacuis sese onerare studiis quod nunc plerique faciunt. Quare breui oratione testatum faciam, in quibus artibus aut disciplinis operam ac laborem nostrum collocare debeamus.

5. Quinto & ultimo non est rarum exordium, quod a lubiecto loco sumimus, ut cum declamator, augustum templum, quod quotidie summorum oratorum vocibus personat, *ἔστιν* in cuius cathedra non nisi doctis, qui collocantur, verbis ornat. Sic scripturus familiarē Epistolam ac popularem, Exordium capescere potest a patria communi; Si mihi alia tecum causa amicitia non esset, satis arcto tamen vinculo nos deinxisset communis patria. Non enim dubium est firmissima quasi cognatione eos sese mutuo attingere, quos natale solum coniunxit. Quocirca cum patria coniuncti simus, fac, ut animis quoque *ἔστιν* voluntatibus consentiamus. Quod cum ita sit, facere non possum, quin per literas tecum loquar.

Interdum etiam a verbis affectuum, ut a precatione seu voto, gratiarum actione, laetitia, do-



lore animi ordimur. Cicero orationē pro Murena ita incoat, a precatōne; *Quod precatus sum a Deo immortalī, cum Murenā consulem renuntiavi, idem nūc ab eodem Deo precor, ut hic consultus ei prospere, fauste feliciterq; cedat.* Sic declamaturus, hinc exordiū capere potest; *Ego velle mei auditores, ut ad hanc gravissimā cathedram ascendisset quispiam me facundior!* Disputationis præses sic ordiri potest, *Tibi omnipotens æternæ & viæ Deū gratias agimus, quod Evangelium hoc extrema mūdi senectū repurgasti, tibi inter nos Ecclesiam colligis, eamq; clementer regis & defendis, servas & notitiā artium & linguarum utilium, tueris disciplinā, leges, politias, & congressus scholasticos.* Huc pertinet exordia ex abrupto facta. Sic Cicero. *Quo me vertā patres conscripti? unde initium sumā? Maius enim mihi dicendi onus imponitur.* Pro Roscio. *Quid primum querar, aut unde potissimum exordiar iudices? aut a quibus auxilium petam?*

Occupationes deniq; in exordiis necessariæ sunt. Iis enim amolimur, quæ causæ nostræ officere vidētur ut: *Quanquā odiosum est clarorum hominum, dicta aut facta, mordicus apprehendere, veritatis tamen ductus studio dicā quod sentiam.*

In insinuationibus eiusmodi *αὐτὸψαίς* sunt creberrimæ. Est aut insinuatio nihil aliud, quam obliquum exordium, cum nimirum in causa iniusta vel suspecta, ut si defendere velimus aliquod *παρὰ δόξον*, id est, sententiā non auditā, nos oblique ingerimus in animos auditorū, ut verbi gratia, *Si quis Helenam illam meretricem velit laudare*



laudare vel stultitiam, item quartanam febrim, is  
utetur insinuatione.

Exemplum in laudatione ebrietatis.

Non dubiū est mihi, viri ornatissimi, quin lau-  
daturus apud vos ebrietatē sobrius, bis terve ebrius  
videar, partim quod ego iuuenis dicendi imperitus  
in tanta doctorū corona, dicturus prodierim; par-  
tim quod de re tam absurda, quasi tam Christiano  
homini, ut prima fronte apparet, indigna, peroratu-  
rus. Sed agite, quod ego iam ex hoc loco dico, non est  
res novi exempli, & memini alios ante me, moriæ,  
id est, stultitia præconium facere. consuetudo enim  
est antiquissima, ebrietas est a patribus nostris vi-  
ris non prorsus impiis ad nos traducta. Conclus.  
Quorum exemplo imopotius vestra benignitate  
fretus, de temulentia non nihil dicere constitui. Vos  
igitur ut candidè me audiatis, &c.

De Dispositione exordiorum seu artificio com-  
ponendia. CAP. XXIII.

Exordia plerunq; constāt Enthymematibus,  
si detrahantur his amplificationes. Primū enim  
ponitur sententia aliqua, cui mox annectitur  
*αιπολογία*, id est, ratio, & tandem cōclusio subiun-  
gitur, quæ propositionem continere solet, ut in  
sua fratria ut uxor ducatur, Cicero collaudat sen-  
tentiam Aristotelicā, hominem solitariū aut bonū  
geniū, aut cacodemonem esse. Amare enim solitu-  
dinem & fugere consortium hominū est contra na-  
turam. Conclus. Ideo sapienter præceptum est, ut  
amicos nobis paremus, & societatem generis huma-  
ni sedulo colamus, quo fit ut Philosopho uxore dū-  
cendam putem.



*Aliud amici ad amicum praeceptum.*

*Cupio tibi omnia mea, non aliter atq; mihi ipsi esse nota. Ratio, quoad enim mens mea potest respicere, longissime video, te amicum meum fuisse summum. Quocirca non putavi faciendum, ut hic  $\zeta\epsilon\alpha\mu\mu\alpha\tau\omicron\phi\omicron\epsilon\gamma\varsigma$  ad te vacuum sine literis meis veniret.*

Interdum tertio loco inseritur ante conclusionem amplificatio aliqua, continens vel prolepsin, vel aduersatiuam, seu  $\alpha\upsilon\tau\acute{\iota}\theta\epsilon\sigma\iota\nu$ . Interdum etiam additur  $\alpha\zeta\acute{\iota}\omega\sigma\iota\varsigma$ , id est, petitio ad auditores, ut benigne audiamur.

*Exemplum.*

*Protasis Exordij, Fortassis ad stuporem usque miramini, cur ego hac disputationis capita defendenda susceperim,  $\kappa\alpha\tau\alpha\sigma\kappa\delta\upsilon\eta\ \alpha\iota\ \pi\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha$ . Aliquis enim ex hac doctissima turba hac munia feliciter obierit, vel sic: Ego enim audacior vel laudis audior cuiquam esse videar.  $\delta\pi\acute{\iota}\delta\delta\omicron\sigma\iota\varsigma$  seu conclus. Non igitur abs re male putabo. Antithesis, At me nec audacia nec laudis cupiditas impulit, sed praeceptorum auctoritas, qui hoc oneris mihi imposuerunt.  $\alpha\zeta\acute{\iota}\omega\sigma\iota\varsigma$ . Quare rogo, ut quae uestra est humanitas, meas responsiones ieiunas benigne audiatis.*

*Aliud exemplum.*

*Propositio Exordij, Cum meo me pede metior, satis intelligo tenuitatem orationis meae, quae exilior & horridior est, quam ut attentione & beneuolentiam demereripossit,  $\alpha\iota\ \pi\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha$ . Agnosco enim me a natura esse infantem, & ad exercitationem dicendi minus excultum, quam ut tantum valere possit mea dictio, quo tersis uestris auribus*



ribus iudiciisq<sup>3</sup> politissimis satisfaciat, Aduersatiua; Verum, quia vestri officij est, non tam ob orationū, quæ ex hoc loco recitantur, dignitatē, quam ob laudatissimam declamandi consuetudinem vestra beneuolentia dicentes complecti, in magnam spem adducor, fore, ut eadem facilitate erga me sitis vsuri, quam erga antecessores meos declarastis. Amplificatio, qua fit aditus ad propositionem. Et quia ab elegantia orationis minus sum paratus, constitui eiusmodi argumentum, afferre, cuius tractatio non solum plurimum utilitatis, sed etiam dulcissimam delectationem attentis afferre possit, *Αιτιολογία*, Pertinet enim eius cognitio ad omnes bonarum artium cultores. Epilogus per *ἀξίωμα*. Peto igitur, ut mihi operam audiendo detis.

Nota. Ad extremum sæpe exordia ita disponuntur, ut constent, e syllogismis connexis, præsertim secundi modi, ut utinam Titius noster adhuc in viuis esset, sed decessit in Christo. Conclus. loco, seu pro ea connectarium. Ergo parentalia illi peragere pietas postulat. Sed sciant rudiores connexos syllogismos prosyllogismis esse amplificandos, ne oratio sit nuda, & artificium facilius deprehendatur.

Enuntiationes porro hic sæpe contrahuntur, ut si is esset impetus animorum, & ardor mentium ad studium philosophiæ capessendū, quam usus eius ad Rempublicā gubernandā requirit, superuacanea esset omnis oratio, quæ ad Philosophiæ studiū est facta, Ass. Num videlicet quia bona pars studiosorū segnis est, & philosophiam iacere patitur. Conclus. Omnibus igitur modis inuentus est



*orationibus excitanda & cohortationibus, ut aliquid operæ & studij in sincera ac sobria Philosophia ponant.*

*De vitiis exordiorum.*

Ex ante dictis facile patet, vitiosa esse exordia, in quibus est partium ἀνακροῦσθια. Itemq; quæ sunt tumida & arrogantia, præterea aliena & nimis remota, & deniq; longiora, iusto vitio non carent.

*De Narratione & propositione.*

CAP. XXV.

Exordium aliquando sequitur narratio. In ea virtutes laudantur, breuitas, perspicuitas, probabilitas & suauitas. Breuitas intelligitur eiusmodi, quæ nihil necessarium prætermittat, & nihil superuacuum impertiat. Excursus itaq; & transitiones hic sunt vitandæ.

Perspicuitas consistit in verbis vsitatis, puris, significantibus & negotio maxime conuenientibus. Itemq; in ordine per circumstantias loci, temporis, personarum, causarum, & euentuum coaceruato. Suauitas consistit in commotione affectuum, omninoq; in recta pronuntiatione. Verbi gratia, *si tristitia cum tristitia animi, letitia cum letitia efferantur.* In hac re mirus artifex est Cicero, ut videre est in narratione pro Roscio, *ubi conqueritur de scelere & audacia interfectorum.*

Probabilitas dicitur, cum oratio est veritati consentanea, qua in re circumstantiæ ita adhibendæ sunt, ut auditor credat, nisi enim quæ narrantur



rantur, temporibus & personis consentiant, nisi spatia temporum, dignitates personarum, rationes consiliorum, oportunitates locorum consentent, de veritate narrationis dubitabitur.

Dilucida igitur erit Narratio, ut intelligatur, brevis, ut memoria comprehendatur, suavis siue *ἡδύκη*, ut auditor delectetur & commoueat, probabilis ut fides adhibeatur.

*De dispositione narrationis.*

Tribus fere membris narratio perficitur, in quorum primo causæ & consilia rei, ubi circumstantiæ locum habent, in Secundo acta ipsa, in Tertio euentus exponuntur. Egregium exemplum est oratio, quam legati Gallici a principe Condæo coram Principibus Electoribus Germanici Imperij habuerunt mense Nouembr. Anno 63.

Primum enim narrant legati *consilia, conspirationes & molitiones Wisn. quibus ad opprimendos Euangelicos (ut vocant) usus est, idq; ea breuitate, quam rei & loci circumstantia videbatur deprecere.* Secundo commemorant *acta atq; euentum, videlicet bellum intestinum funestum & atrox, quod ex antecessis conspirationibus natum est.* Tertio enarratio quoq; est probabilis, quia *confirmatur testimonio plurimorum hominum & ciuitatum, quæ asperrima quæq; perpessa tolerarunt. adiunguntur etiam testimonij loco litera ipsius reginæ.* Quarto insperguntur *subinde affectus narrationi conuenientes, lugubres, illustres, tristes, querela de horrenda dilaceratione tam potentis atq; florentis regni.*



*Aliquis accusaturus Vlysssem, quod falso detulerit Palamedem, initio dicit de consiliis Vlyssis, quod semper voluerit excellere & primas tenere inter Græcos, atq; extremo odio persecutus sit Palamedem, cum hunc sibi aduersari animaduertisset. Deinde de actis, quo ab Vlysse sit accusatus Palamedes. Tertio de euentu, cade videlicet consecuta, Vide Exempla plura apud Ciceronem in oratione pro Milone, item in oratione pro lege Manilia.*

*De Propositione. CAP. XXVI.*

Propositio summam orationis complectitur, & quasi scopus est, ad quam omnia argumenta collimare oportet. Estq; Simplex & Multiplex. Simplex, cum vnum quiddam proponemus. Multiplex, cum de multis sumus dicturi, atq; tum licet uti enumeratione, seu partitione, seu diuisione. Et hæ partes eo ordine tractandæ erunt, quo sunt propositæ, nisi forte prudentiæ methodus aliud flagitet.

*Exemplum multiplicis propositionis.*

*Socrates accusatus est, tum quod corrumpere iuuentutem, tum quod novas superstitiones reduceret. Cicero in Oratione pro Manilia sibi tria ad dicendum proponit. 1. De genere belli Mithridatici, 2. De necessitate eius. 3. De Imperatore ad illud bellum eligendo.*

*De Confirmatione. CAP. XXVII.*

Cōfirmatio est quasi cor propositionis. Propositio



propositio enim nihil valet, nisi cōfirmatione propugnata fuerit. Ceterum materia confirmationis ex locis inuentionis sumatur. Hic de collocatione argumentorum monendi estis. Quemadmodum in præliis permagni interest, quo pacto aciem Imperator instruat; sic non parum habet momenti in oratione, quo ordine argumenta rei confirmandæ ponantur & collocentur. Ut igitur Imperator optimos milites & exercitatissimos in principio & fine constituere solet, tyrones in medio, ut a prioribus defendantur, & a posterioribus cohibeantur in officio, ne fugam meditentur, & ne hostes post principium impetum faciant: Eodem modo faciat orator, firmissimas argumentationes in primis & postremis causæ partibus collocet, infirmas, mediocres & coniecturales in media.

Huius præcepti de dispositione ratione docet auctor ad Herennium, quod re narrata statim expectat animus auditoris, ex qua causa cōfirmari possit. Quare continuo firmam oportet aliquam afferri argumentationem: quod & in fine facere utile est. Quod quoniam nuper rime dictum est, id est, paulo ante, facile memoriæ mandatur.

Porro in confirmatione obseruandum est, singula disputationum argumenta, vel etiam pleraq; *μεμνησῖς ἐπιλόγῃς* finiri. Deinde vno atq; altero, cōfirmationis argumento tractato, operæ pretium est, interdum adhibere transitionem, & tūc simul attentionem excitare. Quod etiam fieri debet, si propositio orationis fuerit



96 M. RODOLPHI GOELENII  
multiplex, tum enim docilitatis causa ab vna  
ad alteram transitur.

*Exempla.*

*Sed de his satis atq; fortasse nimium multa, ve-  
nio ad alterum disputationis nostrae caput.*

*Aliud.*

*Magna fuerunt haec, de quibus dixi, sed lenia  
videbuntur, quod his, quae nunc allaturus sum, sum-  
mam tandem cause arcem inuadam. Cic. 1. Off.  
in fin. Quae si vobis longa videtur, cum utilita-  
te rei comparetur: & ita fortasse breuior videbi-  
tur, &c.*

*Item.*

*His longius fortasse quam par erat, immoratu-  
rus sum, caetera paucis & dilucide expediam.*

Tertio, Methodo prudentiae interdum con-  
futatio praemittitur narrationi. Ut enim aedifi-  
caturus domum, primum amolitur rudera col-  
lapsae domus, & deinde aedificat. Sic oratores  
saepe remouet, quae causae officere videntur, an-  
tequam suam causam stabiliant, & firmis ratio-  
num momentis fulciant.

*De Confutatione. CAP. XXVIII.*

Confutatione utimur, cum, quae nobis ob-  
iici possunt refellimus aut eludimus. Incoa-  
turque illa plerumque per particulam aduer-  
satiuam. Habet potissimum duas partes, obie-  
ctionem & dilutionem. Verum si obiectio &  
dilutio, euoluantur accuratius, habebit confu-  
tatio 4. partes, e quibus tamen tertia non raro  
omittitur.

Primum



Primum ponitur *πρότασις*, id est, propositio.

Secundo ipsa obiectio seu *κεφάλαιον* aduersarij.

Tertio *ἀντιπόδοσις*, id est, opposita sententia, seu confutationis propositio.

Quarta est *ἀντιποροσῆ* seu *ἀνασκευή*, id est, solutio ipsa.

*Exempla.*

*Πρότασις*, propositio confutationis: *Sed audite quæso quid nobis obiiciant aduersarij. Vel sic: Sed quid vos aduersarij. Obiectio: vociferamini, &c. Ἀντιπρότασις*, sed habeo quid respondeam, vel: *Hic aqua non haret, vel: Sed non obmutescimus ad hanc frivolum obiectioem.* Tandem sequitur solutio, cui si res est clara per se, additur reiectio tanquam clausula hoc modo. *Sed in meridie lucernam adhibere quorsum attinet? Vel: verum quid refert media iungere luce faces, ut cum Poeta loquar.*

*Aliud exemplum.*

*Πρότασις*: *Sed quid audio dicat aliquis, erravit ne ergo Aristoteles eum inquit, &c. Antiprotasis. Speciosum sane est obiectum, sed facile refelli potest. Solutio, Nam Aristotelis sententia alio pertinet.*

*Tertium exemplum.*

*Πρότασις*, sed quid vos aduersarij? *Obiectio, impietatem Ciceronis accusatis, quod patriam gravissime afflictam & laborantem destruit. Solutio, scelus id quidem nefarium, si vel animi imbecillitate vel otij cupiditate ductus id fecit, sed quotus quisq; vestrum ignorat, Ciceronem a Reipubl. ita exclusum fuisse, ut eius consilio auctoritati locus non esset.*



*Exemplum, in quo duæ sunt partes.*

*Istis vero literarum osoribus nequaquam aures patefaciendas esse existimo, qui clamitant, doctos omnia pervertere. Solutio, Nam commiseratione vel risu etiam potius quam invidia & refutatione digni sunt.*

Cæterum in confutatione venuste adhibentur concessio, communicatio, exclamatio, interrogatio, extenuatio, Sarcasmus, Ironia, *μικτελισμός*, vt ex antecedentibus exemplis apparet.

*De Peroratione. CAP. XXIX.*

In peroratione, hoc est orationis artificioso termino vtimur, partim *ἀνακεφαλαίωσις*, id est, enumeratione recedente præcipua argumēta seu rerum capita, quæ in tota oratione sunt sparsa; partim amplificatione, in qua adhibentur motus seu affectus animi ad persuadendum, quales sunt indignatio, invidia, commiseratio, benevolentia. Alij autem atq; alij motus in animis audientium concitantur pro diuersitate argumenti seu materiæ orationis. Interdum autem perorationi subiicitur quædã clausula seu consecrarium.

*Formula Declamationis.**Argumentum Ethicum.*

Lucij Iunij Bruti consulis Romani factum laudatur, quod nec suis quidem filiis proditoribus pepercerit. *Vide Liviũ lib. 2. statim ab initio.*

Exordium e causis perorationis. *Cum celeberrime huius Academia consuetudo commemorabilis omnino iubeat, vt ex hoc illustri loco, de argumen-*



gumento aliquo Philosophico perorem, mihiq<sup>3</sup>  
 in historia & Ethica versanti mirifice placeat, in  
 ea qua recte secusve facta sint inquirere: Ne quis  
 miretur velim, quod multis praeclarissimis nostro-  
 rum hominum facinoribus praeeritis, ad ea cele-  
 branda me conferā, qua multis abhinc annis apud  
 veteres Romanos magna cum laude gesta sunt. Αι-  
 πολογία. Non enim inscienter id facio, sed consulto,  
 tum ut alios etiam inflammem ad historiae veteris  
 studium. Tum vero, quod vix pauca reperias hac  
 nostra aetate cum istis antiquis comparanda. Con-  
 clusio Exordij. Quare nemo erit, qui inique inter-  
 pretabitur institutum nostrum. Narratio, Quid  
 ergo est, de quo dicendū videtur? legens secundum  
 Liviij librum occurrit Brutus ille consul, qui Tar-  
 quiniū Collatiuum collegā suum propter affinita-  
 tem Tarquiniorum suspectum coegit consulatu se  
 abdicare & civitate cedere, bona regum diripi ius-  
 sit, agrum Marti cōsecrauit, qui campus Martius  
 nominatus est. Ibi tum erant in Romana iuventu-  
 te adolescentes, nec ij tenui loco orti, avidiores regie  
 licentia quam civilis libertatis, ij coniuraverunt  
 de clam recipiendis regibus, inter quos & Bruti &  
 fratris filij erāt, coniuratio detegitur, quid sit? Bru-  
 tus reos nulli parcens, nudatos virgis cedit securiq<sup>3</sup>  
 ferit, ipso supplicium aspectate. Propositio. Praeter  
 cetera ergo laudibus efferenda mihi videtur sin-  
 gularis ista Lucij Junij Bruti severitas, quam in su-  
 is filiis plectendis regum restitutionem molientibus  
 adhibuit. Confirmatio generalis. Hic enim si vs-  
 quam alibi clarissimus iustitiae & fortitudinis splē-  
 dor, hic quantum maximum Reipublica studium



elucet? Argumentum 1. a iustitia, Isti, amabo, dis  
 mihi regina iustitia quid tam cognatum est, si hoc  
 non est, tam religiosum ministrum legum se prabe-  
 re, ut non modo non in aliorum sceleribus connuen-  
 dum putarit, sed ne in suorum quidem, quos ipse &  
 pater & consul grauissimo iustissimoque supplicio  
 mactandos, postquam aliquandiu petissent deliga-  
 ti ad parum, pronuntiauit. De equitate quod du-  
 bitemus nihil est. 2. Negationis a minori ad maius.  
 Nam si Tarquinio Collatino Bruti in expellendis  
 regibus socio propter solum Tarquinij nomen im-  
 perium legitime abrogatum uniuerso populo Ro-  
 mano, & hoc ipso Bruto iudice, quis iniquum cen-  
 seat, hosce iuuenes perditis ipsorum machinationi-  
 bus manifesto deprehensis capitis supplicio addi-  
 ctos. 3. Argumentum a fine. Deinde cum gra-  
 uissima fuerint causa regum exterminandorum,  
 que potuit esse iusta eorundem reuocandorum? Prae-  
 sertim cum adolescentes illi non essent magistratus.  
 Quid denique temperarios adolescentes ad tam ne-  
 farios ausus & conatus impulit? an commiseratio?  
 an amor Reipubl. an studium equitatis? quod ini-  
 quum putarent, reges auito exsutos regno, perpetuo  
 mulctari exilio? Nihil horum spectatum est, sed ad  
 suam scelerate viuendi licentiam, qua sub legibus  
 una cum ipsis regibus usi fuerant, recuperandam  
 tanto studio, incubuerunt. 4. A testimonio. E-  
 rant enim dictitare soliti, aliorum libertatem in  
 suam seruitutem cessisse. Conclusio, seu perora-  
 tio confirmationis primae partis. Aequissimo  
 igitur supplicio, quis negat affectos? Altera pars  
 confirmationis de fortitudine. Cogitemus porro  
 quanta



quanta vis sit paterni amoris, amplificato ipse a definitione storgarum & affectuū. Deinde hoc exemplum tu amplificabis per comparationē imparium, hoc est, nostrorum magistratum, quorum pleriq; non in suis tantū, sed etiam in quibusvis aliis sceleribus puniendis nōnunquā lenti & dissoluti sunt, ut mirari possimus divinā prorsus in hoc viro animi magnitudinem, quae huic tristi spectaculo non solum adesse sed etiam praesse sustinuit. Quodq; lata in filio sententia nusquam ab hominum oculis omnibus praeadmiratione in se coniectis secessit, & in sella residens consulari filios & virgis cedi & securi perdi spectavit, nec colore quidem, quod animadverti posset, immutato. Amplifica tuo Marte per comparationem impariū, id est, nostrorum parentū, qui mortis instar putant, si suos delicatulos & aureolos filios virgis vel paululum caesos audiunt. Tertia pars confirmationis de Reipublicae studio. Ad extremum quid uniuersae Reipublicae potuit accidere optatius hoc ipso supplicio, quod ceteris omnibus testimonia esset, nec se laturos impune, si quid contra Rempub. in istis pestibus restituendis machinarentur. Multos quidem sui nominis infestiss. hostes habebant Tarquinij: sed nō pauciores eiusdem studiosissimos praesertim florentissimos quoq; ex nobilitate adolescentes. Quid autem futurum erat? Nimirum ut istis proditoribus una cum ciuibus intra moenia versantibus, Tyranni, nihil ipsis tale cogitantibus, in urbem irreperent, & libertate tantis parta difficultatibus erepta, infinitis partibus grauiorem imponerent seruitutem quam, qua ante fuissent pressi: Si-



quidem seruire libuisset, quibus ad unum omnibus  
 praese missis imminebat interitus. Sed seueritas ista  
 hoc, quicquid fuit mali, potuit auertere. Conclu-  
 sio horum argumentorum. Reipublica igitur re-  
 ctius consulere nequinit optimus consul, quam ut  
 edito in suos exemplo ceteros a proposito deterre-  
 ret. Haec est confirmatio. Sequitur refutatio,  
 Sed quid audio? quid? dicat aliquis, ita ne iustitia  
 & fortitudinis laus, ita ne Reipublica salus filiorum  
 sanguine quaesita est? Obiectio. Na illa iustitia  
 non est, origo ne iuris est? Na illa fortitudo non est  
 crudelitas est, & ἀσέβεια. Na illa Reipublica salus  
 non est, certiss. potius pernicies est. Hisce tribus ob-  
 iectionibus adolescens tuo Marte respondebis.  
 Ad duas priores a descriptione summi iuris &  
 crudelitatis, quod nimirum summum ius sit reli-  
 giosa observatio legis, quod summum ius sit seueri-  
 tas, seueritas autem sit virtus. Etsi enim vulgo di-  
 catur summum seu strictum ius, significare non  
 seueritatem, sed ius calumniose interpretatum.  
 Quod crudelitas non sit, probabile est inde, quia  
 crudelitas est, cum saeuatur in innocentes. De  
 ἀσέβεια respondebis primum, quod Brutus pu-  
 niuerit, non ut pater filium, sed ut magistratus ci-  
 uem. Item quod amor patriae sit preferendus amor  
 liberorum. Item quod satius sit parentem, magistra-  
 tum ἀσέβειαν videri quam ἀσέβειαν πολίτην. At non  
 desinunt vociferari, patri adhibendam esse ἐπιεί-  
 κειαν, id est, mitigationem poenae. Respondebis, si  
 scelus filiorum ad unum tantum pertinuisset, uti  
 potuisset Lucius ἐπιείκεια. Iam vero res agebatur  
 totius ciuitatis, melius itaque fuit, ut periret unus  
 atq;



atq; alter, quam civitas. Ad posteriorē obiectio-  
nem respondebis per cōcessionem hoc modo.  
*Quod vero clamitant, supplicium istud certissimam  
perniciem Reipublicæ fuisse, indeq; imperium Ro-  
manum magnum accepisse detrimentum, concesserim  
equidem, si bonæ frugis, bonæq; spei adolescentes  
fuisent: at eiusmodi non erant, sed omnibus cupi-  
ditatibus frenos laxabāt. Peroratio. Quæ cum ita  
sint uno omnibus ore predicandam censeo admira-  
bilem Bruti iustitiam, diuinā animi magnitudi-  
nem, mirifice in Rempubl. propensam voluntatem,  
qui ne suis quidem execrabili ipsorum in patriam  
deprehensa impietate, parcendū censuerit, sed ipse-  
met capite ipsos damnarit, & supplicii spectatorem  
se se præbuerit, omnibus ad stuporem usq; tantam  
seueritatem & fortitudinem admirantibus.*

*De Disputatione. CAP. XXX.*

Ad exercitationem Logicam in primis per-  
tinent, quæ de rebus habentur scholæ, collatio-  
nes, ἀγλέξεις, συζητήσεις, disputationes. Ex enim  
partim Genesi, partim Analyti subiici possunt.  
Respondens componit theses, opponens facit  
nodos, hæc Genesis est; Respondens soluit &  
retexit, hæc Analysis est.

Est autem disputatio sententiarum de aliqua  
re collatio instituta hoc fine, vt veritas vel veri-  
similitudo e tenebris & obscuritatum volucris  
eruat & in lucem producat. Hæc sit sobria,  
modesta, prudens, placens, sedata, reuerentiæ  
studiosa, non tumultuaria, non clamosa, non  
garrulitas muliebris. Secus si fiat, verum erit  
istud, *disceptando amitti veritatem.*



De obiecto disputationis monendi sunt hoc iuniores. *Primum*, disputandum esse de probabilibus, ut *an fr̄is fuerit ante diluuium, an cerebrum sit sedes animi*. Deinde de certo veris & iis, quæ ab aliquibus speciose sunt impugnata, vel impugnari possunt Sophismatis vel captiosis argumentationibus, ut *an Christus operante spiritu sancto natus est ex Maria virgine*. Nam de iis, quæ sunt prorsus ἀνεύστοτα, ad quæ nihil potest inferri, quo disputare attinet? Nihili. Ergo omit-tenda.

Themata ergo non continebunt manifesto falsa, quibus & gloria Dei leditur & homines pij amantesq; veritatis offenduntur. Quare recte dixit Ethnicus, *Impiam esse consuetudinem disputandi contra Deos, siue id fiat serio, siue simulate*. Verbi gratia. *Deus proprie est auctor scelerum*. Item *melius est, sacerdotem habere decem concubinas, quam unam legitimam uxorem*.

A manifesto falsis autem discernuntur *παράδοξα*, sententiæ ab opinione vulgi discrepantes, qua ingenij & iudicij exercendi causa disputare licet, præsertim in philosophicis materiis, ut anima cum e corpore excessit, non amplius est anima, est *παράδοξον*.

Deinde aliena sint a disputationibus, quæ omnino excedunt captum humanæ mentis. De iis recte dicitur; *Quæ supra nos, nihil ad nos, vilitate vocant: τὰ πρόωθεν*, id est, *quæ non possunt investigari, quæ procul sunt*. Ad extremum non expedit de sententiis naturæ notis, & iis, quæ vniuersali experientia sunt notissima, disputationes

nes



nes instituire, vt: *an ignis urat, an nix sit alba, an bis deni sint viginti.*

Personæ disputantium sunt Argumentans & Defendens. Iis necessarius est primo apparatus, deinde sequitur conflictus.

Apparatus consistit in duobus, *primum* in notitia verborum & rerum, de quibus disputatur, *secundo* in cognitione instrumentorum, quibus tractantur res & verba, id est, doctrinæ Logicæ.

Ad apparatus igitur requiritur præcipue magna supellex, & quasi cornu copiarum regularum & confectariorum, quæ ex præceptis Logicis fluunt tanquam riuuli e fonte, cuiusmodi sunt, *Ex particularibus seu vno singulari nihil sequitur. Posita toto integrali, ponitur qualibet eius pars. Qualis causa, tale effectum. Forma mutata prorsus interimitur rei substantia, actus siue forma subiecti nullus est. Item nullum simile est idem realiter. Item dato vno absurdo, sequuntur infinita. Non multitudinis sed saniorum opiniones curanda sunt, saniores autem ij sunt, qui veritatem ducem sequuntur.*

Per hos & similes canones multa soluuntur, quemadmodum Iurisperiti per regulas iuris multas cauillationes retexunt.

*De Conflictu.*

In conflictu, de quo etiam supra attigimus requiritur in primis ab vtraque parte modestia, se intra rei, de qua agitur, metas continens, & meliora sentienti locum relinquens & cedens. Temperatum idem & æquabile genus sermonis, quale



est Philosophicum: Animus carens acerbitate:  
*ἁπαξία* ne omnia confundantur in vnum chaos:  
 Denique *φιλαληθεία*, id est, amor veritatis. & o-  
 dium sophistices, & tranquillitas post agnitam  
 veritatem.

Præterea in conflictu cauendum est, ne nos  
 nostro ipsorum iugulemus gladio, ne dum ictus  
 inferre videmur, proprii pedis ictu a bello dis-  
 cedamus, tacite dicentes illud.

*Heu quatuor telis vulnera facta meis.*

neve aduersarius ictus eludat, arma igitur quis-  
 que sua experiri debet. Cæterum eiusmodi  
 reciprocationis vitium dicitur *ἀντισπέρου* seu in-  
 uersio, *βίαρον* seu violatio, quale hoc est. *Hospes*  
*quidã cum diuerneret ad Spiridonem Episcopum*  
*carnibus in prandium apposis, inquit: Abstineo*  
*hodie carnibus, quia ieiunium est & Christianus*  
*sum.* Hæc ratio vere est *ἀντισπέρου*. Quare talis e-  
 rat inuersio Spiridonis, imo si es Christianus ves-  
 caris carnibus. Libertatis enim Christianorum  
 hæc quoq; pars est, quod ad discrimina tempo-  
 rum & ciborum, non sunt alligati.

Ad extremũ oportet concertantes dictorum  
 & concessorum esse memores, ne oratio secum  
 ipsa pugnet & fiat contradictionis implicatio,  
*Fuerunt olim hæretici quidam θεοπαχίται, qui do-*  
*cebant, ipsam Deitatem esse passam, quod cum Im-*  
*perator tanquam absurdissimum credere non pos-*  
*set, aliquo istis ad se vocatis produxit literas, quibus*  
*simulabat ad se perscriptum esse a fide dignissimis*  
*hominibus, Archangelũ Michaelẽ esse mortuũ,*  
*hoc, inquit Imperator, adduci non possum, vt cre-*  
*dam,*



dam, quid vobis videtur? Responderunt θεοπαχίται, ementitum id esse, nec fieri posse, ut Michael moriatur, cum sit spiritus. Tum subiunxit Imperator; Re-ete quidem, nec ergo Deitas seu Deus in sua substantia & natura pati ac mori potest. Ita rubore suffusi & confusi frigidissime suum hereticum dogma domum reportarunt. Haecenus de genere & conflictu, nunc de specie.

*De partibus opponentis.*

Argumentantis officium in his fere positum est. Primum obiiciet argumenta formis syllogisticis alligata, quam fieri potest breuissime, & si ita opus sit, addet confirmationes & declarationes. Non autem eadem semper via aduersarius est aggrediendus, sed interdum aperte, interdum oblique, ut in bellis hostem nunc aperto Marte, nunc ex insidiis inuadimus. Ductus enim argumentandi est duplex, Directus vnus, Obliquus alter. Est autem ductus directus, cum recta via colligimus, quod volumus probare, ut si defendens dicat, *constare caelum ex aqua*, tu directo sic oppones, *nullum corpus perpetuum constat ex materia elementari, caelum est corpus perpetuum, ergo caelum non constat ex materia elementari, ut aqua.* Ductus obliquus est, cum a quaestionibus & responsionibus progredimur ad argumentationem, vel cum accepto contradictorio eius, quod volumus probare, colligimus inde aliquid, quod sit falsum, vnde regressi docemus falsum id esse, quod collectum est, ut si *caelum esset conflatum ex aqua elementari, posset dissolui & corrumpi.* Iam vero caelum non dissoluitur nec



*corrumpitur. Si enim corrumperetur, etiam generationi & alterationi obnoxium erit, quod falsum est. Sic diuus Paulus in Epistola ad Cor. 15. cap. probat, resurrectionem mortuorum ex hypothese, seu inductione ad incommodū & impossibile. Si nō resurgunt mortui, neq; Christus resurrexit, si Christus nō resurrexit, neq; nos resurgemus, ergo vana erit nostra predicatio & fides. In disputatione enim licet interdū adhibere falsam hypothesein, vt ponamus, Deū condidisse cœlum duntaxat, quod quanquā falsum est, fieri potuit: Vnde concludatur, potestate Dei posse vacuum in natura rerum esse. Data seu concessa hac hypothese nihil luna, planetarum cœlestium infimus complexu suo capiet, & ita erit inane.*

Maxime etiā laudi ducitur, si opponens post solutionē instabit, præsertim cum obiectio nō videtur satis resoluta, tum igitur defendētis solutione vno atq; altero verbo repetita, aliam argumentationē afferet dicens: *sic insto; ut a premo; in hunc modum vrgeo: Longius premo.* Formulas autē superbas vitabit, qualis est hæc: *Sic ulterius aduersus vos insurgo.* Absit autem hic potissimū pertinacia in rebus leuioribus præsertim & incertis. Nam recte Augustinus inquit, *Melius est dubitare de occultis quam litigare de incertis, & Martialis, crede mihi sapere est, nō nimium sapere.*

*De Officio defendentis.*

Defendens priusquā in arenā descendat, difficultates thematum bene secum expendat.

*Secundo* diligenter attendet, quid cōtra obijciatur, & an hoc ipsum cum themate pugnet.

Sæpe



Sæpe enim multa obiiciuntur impertinentia.

*Tertio* obiectum repetet & respondebit tum Dialectice tum realiter. In repetitione quidem eadem verba si fieri potest, modo ne sint barbara & indigna eruditis auribus, eodem etiam ordine, quo a disputatore proponuntur, iterabit. Addere enim aut adimere aliquid sententiæ in syllogismo propositæ, partim sophisticum est, partim sapit *φιλαυτίαν*, tum defendēs suis verbis vt auiculæ quædã suo ipsarū cantu, delectatur. Si tamen nimis proluxa est argumentatio, licet eam refumentis contrahere.

Inquis, *quorsum opus est repetitione?* vt detur locus cogitandi de responsione, & dissolutio per considerationem sit neruosior. Quid quod & in repetitione interdum melius intelligitur argumenti sensus. In responsione cauendum est, ne amplius ac aliter quam necesse sit, respondeatur.

Est autem in ea vel distinguendum & explicandum, vel concedendum, vel negandum, & reiiciendum.

Explicatur obscurū, distinguitur multiplex, ambiguum, seu verum secundū quid est ex parte verum, vt *distinguo maiorem, distinguo conclusionem*, id est, *cōcedo conclusionem, sed cum distinctione quadam*. At magna est disputatio inter quosdam, an dicendū sit, *distinguo consecutionem*. Aug. Huneus ita loquitur, Petrus Aphonsica nequaquam, cuius verba sunt hæc, *Consequentia nunquam sunt distinguenda, sed concedenda aut neganda*. Explicari tamen ita potest



Huneus, ut ei sit, *distinguo consequentiam*, idem quod, *concedo consequentiam*, sed *cum distinctio-  
ne*. Conceditur quod nihil obest proposito, quod pro nobis facit, quod impertinens est, ut *concedo totum, concedo conclusionem*; quia ea *contra nos non militat*. Hic sæpe, ubi defendens subdubitabit de falsitate vel veritate alicuius propositionis in syllogismo opponentis, tacito pede eam præteribit, & ad alteram, in qua vitium magis aperte deprehenditur, descendet formula hac; Fuerit ita quod in maiore dicitur, *Esto maior vera, esto quod in assumptione affertur*, Barbari transeat *assumptio*. Latini, *sit ita ut vis in maiore*, iam respondeat duntaxat ad minorem.

Negatur falsum, ut *nego priorem partem antecedentis*. Reiiicitur alienum vel inconsequens, ut *reiiicio consecutionem*, id est, *connexio seu coherentiæ partium non est necessaria*. Item fallax est *connexum*, seu *Elenchus est connexæ enuntiationis*, seu *nulla est consecutio consequentis ad antecedens*. Usitatum tamen est *negandi verbū*, pro *reiiiciendi*, & falsi pro inconsequentis. Quare licebit etiam dicere; *Si Gabriel est Angelus, est omnipotens*. Nego consecutionem seu falsum est *connexum*.

Caue autem neges conclusionem seu consequens.

Ad extremum defendens non respondebit *magisteris*, id est, superficialiter & obiter, ut ille, qui in promotione doctorum ad Nauseam usq; magno cum auditorum risu, sæpe hac inculcabat, sic arguit Dominus, *ego omnino respondeo obiter*, sed quoad



quoad eius fieri potest exactissime, ut nulla dubitatio amplius relinquatur. Finis enim Disputationis est veritatis inuentio.

Ex dictis manifestum est, disputationis partes essentielles ac proprias esse alias obiectiones & solutiones. Ad has accedere solent præfatio & gratiarum actio tanquam accessoria & minus principes. In præfatione agitur vel de consilio ac fine disputationis propositæ, vel thema aliquod confirmatur declamatiuncula, vel numinis diuini gratia imploratur, ut linguam & mentem colloquentium gubernet. In gratiarum actione, tum Deo in primis, tum aliis etiam, qui disputationi præfuerunt, eamque præsentia sua exornarunt, gratia detur, addita promissione omnium officiorum, studiorum & mutue beneuolentiæ.

*Exemplum præfationis in disputationem.*


Aristoteles vere ait primo, primi, posterior. & alibi generalibus artium præceptis eruditum καὶ ὅλως sciire; in singularium usu versatū & exercitatum, ἀπὸ τῶν καὶ ὡς τὸ ἐπιεργάζειν, id est, absolute & actu sciire: & vniuersaliter sciire posse, quod specialiter ignoretur: in usuque singularium, rudem esse posse, qui vniuersalia artis præcepta didicerit. Noris ergo inquit P. Ramus tota Logica præcepta: & quamdiu voles disputabis, in singularibus vero hominum bene differentium exemplis non exercueris eorum more diu multumque non differueris, si te Logicum esse opinaris, opinione tua falleris. Nec enim Logica sola constat artis cognitione, sed multo magis exercitatione. Et recte dixit ille vnus ex veneranda antiquitate, tantum scimus quantum operamur; ut iam intelligas studiola auditorum corona quod ἐκ τῆς λέξεως τὸ λέγειν ποιεῖται, id est, dicendo consequimur ut iudicemus, & non facile quis stylo




excellit, nisi diu multumq; disputarit & scriptitarit: sic  
*ἐν τῷ ἀγλέματι τὸ ἀγλέματι ποιεῖται*, id est, *disputando*  
*consequimur ut bene disputemus*. Quare sapienter maio-  
 res nostri exercitationem, iis suscipiendam voluerunt,  
 qui in cursu Philosophico ad consequendum gradum  
 versantur. Sapienter inquam patres nostri disputando  
 ingenij vires periclitādas, & commentationem animis  
 inclusam, in veritatis lucem proferendam iudicarunt:  
 ut aliquando maiori cum laude nostra disputatio ac fa-  
 cultas omnis ex *σκιομαχία* seu vmbatili hac exercita-  
 tione in puluerem, in medium agmen, in forum, in se-  
 natum, in omnem deniq; conuentū populi educi pos-  
 sit. In illo cōsilio maiorum nostrorum, ego quoq; sua-  
 uiter acquiescens proposui quaedā disputationis capi-  
 ta, e Cyclicis, *ut cum Martio Capella loquar*, disciplinis  
 petita, & quidem singulas philosophiæ partes attin-  
 gentia: De quibus ut respondeā quam maxime ad ve-  
 ritatem accommodata, faxit veritatis ille fons & inex-  
 haustus sapientiæ largitor & ingeniorum parens opti-  
 mus. Maxime interea vero, cum, ut concitato nauigio  
 remiges gubernatorē requirunt; sic in Dialexi respon-  
 dens Thesi & etiam Socrate quodam opus habeat: abs-  
 te huius disputationis *ἐξάρα* & præfecto, amanter hu-  
 maniterq; quæso, ut si cui opus, videbitur mihi adsis-  
 tuum iudicium interponas, omnemq; obscuritatis nu-  
 bem discutias, Pro quo beneficio ego quidē animum  
 gratum ac memorem polliceor, scholasticum ve-  
 ro iuuentutis florem eo ipso tibi in per-  
 petuum obligaueris atq;  
 deuinxeris.

*Τῷ θεῷ δοξα.*























DOLPHI  
LENII  
PHILOSOPHO-  
TORIS, PRO-  
TORIS ACADEMICI.

S LOGICA  
ATIS EIVS LE-  
*ante aliquot annos  
excerpta.*

S ARTIVM ET  
mirum in modum  
profutura.



COFVRTI  
ographica M. Zacha-  
Palthenij.  
D. XCV.